



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705


Titulus XVII. De Emptione & Venditione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

ria locupletetur, contra *Reg. Jure natura* 206. ff. & *Reg. Locupletari* 48. in 6.

20. Dubium tertio moveri solet, an clerici valeant torqueri. Cui aniam præbuere *c. 1. cit.* Verba, *Illum iniquum, clericum depositum denegantem, sub questionibus ponant, etiam (si oportuerit) vinculis alligatum*: ex quibus clericum esse tortum, & torqueri jure posse, cum Panormit. *inc. cit. n. 6.* & aliis desumit Clarus §. *fin. q. 64. n. 24.* At non ita certò; quia *c. cit.* non agi de tortura: & Verba *Sub questionibus* idem, quod sub interrogationibus, denotare: verbis autem *Vinculis alligatum*, eum carceris & vinculorum coercitione ad depositæ pecuniæ redditionem compellendum, significari, in *c. cit.* notant Barbosa *n. 7.* & Gonzalez *n. 3.* At, licet textus ille intellectus foret, clericos tamen etiam in Sa-

cris constitutos & Sacerdotes quæque tortura, saltem in læsâ Majestatis & aliis exceptis aut valde enormibus criminibus aliquò Juris privilegio non omnino exemptos, praxi potissimum spectatâ, agnoscunt Farinac. *Prax. Criminal. q. 41. n. 2. & 8.* & Guazzinus *Reor. defens. 30. cap. 10. n. 3.* licet cum Menochio *Lib. 1. de Presumpt. q. 31. à n. 8.* Mascardo *de Prob. Proem q. 10. n. 38.* & aliis, propter præsumptionem delicti exclusivam, ex ipso Clericali statu & Sacerdotalis Ordinis dignitate ortam, præviam publicam diffamationem aut huic succedentia criminis indicia multò graviora & urgentiora contra ipsos, quam contra laicos, quæstionibus subjiciendos sive torquendos, meritò requirant. Quales autem ministri in clericorum tortura adhiberi sint *Lib. 5. Tit. 25.* statuetur.



TITULUS XVII.

De Emptione & Venditione.

Empionem, Commodati, Depositi fere ob unius gratiam iniri solitos Contractus excipiunt, qui cedunt in gratiam & utilitatem contrahentium utriusque: & imprimis quidem Emptio & Venditio, sicut frequentia usus & utilitate, sic etiam celebritate cæteris multum præstans.

ARTICULUS I.

De Emptionis Venditionis natura & varietate.

SUMMARIUM.

1. Res primò pro rebus aliis:
2. Postea pro pretio data,
3. Et ab aliis Contractibus distincta: Emptio Venditio:
4. Qua de merce pro pretio pecuniario danda convenitur;
5. Ut ejus substantiam mutuo contrahentium Consensus,
6. Certum Pretium pecuniarium,
7. Et certa Merx constituant.
8. Non etiam, Translatio Translatio domini,

g. Neque

9. Neque etiam, saltem regulariter, Scriptura.
 10. Cum res proprio simul & re datur, aliquando Venditionis,
 11. Aliquando Permutationis,
 12. Aliquando ex utraque Mixtus est Contractus.
 13. Emptio Venditio alia in Scriptis, alia sine Scriptis:
 14. Alia Generis & alia Speciei est:
 15. Et alia ad Corpus, alia ad Mensuram.

cem, Vendere ac Venditor: is verò, qui pro ista pecuniâ tanquam pretium dedit, Emere & Emptor dictus est, l. 1. §. cit. & l. Nec emptio §. pr. ff. Rubr. cit.

Neque cum hoc vocum illarum discrimine pugnat; quòd Veteres Emptionis Venditionisque appellationibus indiscriminatum usi à Gaio perhibeantur, l. Veteres 19. ff. de Action. empti. itaque illas accepit Ulpianus l. Inter patrem 2. pr. ff. de Contrab. empt. & Emere pro Vendere disertè dicat M. Tullius Lib. 3. Offic. quia neque hoc locò Princeps Eloquentiæ Romanæ, neque U. cit. JCT. ea vocabula sic confundere, ut propriæ significationis vim eandem omnino tribuerent utrique: sed folius modò Emptionis, modò Venditionis nomine Emptionis Venditionis contractum totum expresserunt; quòd nec sine Emptione Venditio, neque sine hac illa consistere aut intelligi possit, ut ad pr. Instit. hâc Rubr. Vinnius n. 2. adnotavit.

In Emptionis Venditionisque propriè acceptæ plena exactaque definitione statuenda mirè variant DD. variationi ansam præbente non modica dissensione circa ipsam Contractus substantiâ: quam etiam qui penitiùs habuere perspectam, sensu quidem omnes eòdem, verbis tamen aliis aliisque usi sunt: & Salas quidem Tract. de Empr. dub. 1. n. 10. perpaucis contractum hunc ab aliis, & in ipso etiam Venditionem ab Emptione distinguit, illam Pactionem rei pro pretio, hanc Pactionem pretii pro re vocans. Utamque simul complexus Molina Tract. 2. de J. & J. disp. 336. n. 5. qui Emptionem Venditionem esse, ait, Contractum, qui consensu perficitur mercis pro pretio: præ quibus accurata propositi contractus naturæ & Originis quoque explicatio est R.R. JCT. um, secundum quos Emptio Venditio est Contractus Juris Gentium. Nomina-

Emptionis ac Venditionis verbis ventitas Contractum & mutuam præstationem quamcunque, & alienationem planè omnem complexa est Lex duodecim Tabularum, l. Statu 29. §. 1. ff. de Statu liberis; cum pretium non in sola numerata pecuniâ, sed cæteris quoque rebus posse consistere, & homo, fundus aut toga alterius rei vini vel olei pretium esse crederetur; ut, si quis istarum rerum aliquam cum alia permutasset, Emptio venditio contracta, §. Item pretium 2. Instit. hâc Rubr. & qui ita permutasset Emptoris ac venditoris locò haberentur, l. Sciendum 19. §. 5. ff. de Adilit. Edit. & in Veteris etiam Testamenti sacra Historia Esau primogenita, pulmentò permutata, diceretur vendidisse, Genes. cap. 25. v. 31. & 34.

Successu tamen temporis, cum ad tollenda incomoda, quibus rerum Permutatio propter rerum æstimationis inæqualitatem obnoxia fuit, pretium & æstimatione rerum, Gentium, moribus introducto Jure, constitutus esset nummus sive moneta signata, Aristot. Lib. 5. Ethic. cap. 8.

Emptio Venditio à cæteris Contractibus discreta, solòque nummò seu pecuniâ signatâ tanquam pretio pro rebus, tanquam merce exhibitâ, est contracta, l. 1. §. 1. ff. de Contrab. empt. & qui rem sive mercem

Nominatus, bonæque fidei, initus consensus, quò de re seu merce pro certo pretio pecuniario, & de pretio pro re tradenda convenitur. Esse contractum Juris Gentium, patet ex *l. 1. cit. §. 2. & §. Sed Jus 2. Institut. de J. N. G. & C. ibi, Hòc Jure Gentium omnes pene contractus introduiti sunt, ut Emptio Venditio, Locatio Conductio &c.* Eum autem Nominatum, *l. 1. §. fin. & l. Jurisgentium 7. §. 1. ff. de Pactis, & bonæ fidei esse, §. Actionum 28. Institut. de Action. habetur: mutuòque consensu de pretio pro merce, & isto pro pretio præstando iniri ac perfici exprimitur, §. 2. cit. pr. Institut. hanc Rubr. & §. fin. Institut. de Oblig. ex consensu. Unde*

§. Dubium nascitur, quænam istius Contractus substantialia sint. Ratio dubitandi est; quia ad ejus substantiam rei quoque ac pretii traditio pertinere videtur; quòd ante hanc secutam contractus pro imperfecto habeatur, *l. Convenit 2. pr. C. de Pericul. & com. rei vend.* Accedit; quòd emptionis venditionis contractus tamdiu perfectus non sit, quamdiu ex eo nata non est Actio Empti: ista autem ante rei vel pretii factam traditionem nata non sit, *l. Julianus 15. §. 8. ff. de Contrab. empt.*

Nihilominus, Emptionem Venditionem sine rei aut pretii traditione & translatione domini consistere, receptum est magno consensu DD. ad istius contractus substantiam exposcentium tria: &

Primo quidem, eum celebrantium utriusque Consensum; unius quidem sive emptoris in pretii pro re sive merce, alterius verò seu venditoris in rei sive mercis pro pretio traditionem: quò consensu emptio venditio perficitur, *l. Empti p. C. de Contrab. empt.* quantumvis facta non sit traditio rei vel pretii solutio actualis, *l. Inter 2. cit. §. 1. l. 1. §. 2. ff. de Rev. permut. & pr. Institut. de Empt. & vendit.*

quæ requiritur in Precarii, Commodati, Depositi, Pignoris & Mutui contractibus: neque etiam certa verborum forma, ut in Stipulatione, adhibita sit, *l. Confessio 2. §. 1. ff. de P. O.*

Secundo Pretium, tanquam rei sive mercis æstimationem, *l. 1. §. 1. ff. de Contrab. empt.* quod in hoc contractu pecuniarium & certum esse debet, *§. 1. cit. pr. V. Pretium & §. 1. Institut. Rubr. cit.* cum eò non res pro re detur, ut in Permutatione, à qua etiam differt; quòd non ut ista, re perficiatur, sed consensu, *l. 1. §. 2. cit.* Eòdem pretio & merce etiam differt à Locatione, in qua proprie non mercede sive res, de cujus dominio pleno aut directo, ut in Venditione, *l. Con manu 80. §. fin. ff. de Contrab. empt.* sed de usu tantum transferendo agitur: neque etiam pretium proprie intervenit cum in Locatione pecunia, si interveniat non pretii, sed mercedis vel pensionis pecuniariæ habeat rationem, *Glossa in l. 1. §. 1. V. Agendo ff. de Superficiis. Molitor disp. cit. n. 5. & Azor p. 3. Institut. Lib. 3. cap. & q. 1.*

Tertio Mercem sive rem corporalem, vg. prædium, domum, bovem, torquem, vel incorporealem, vg. servitutem, jus percipiendi censum annuum: quæ pro pretio tanquam sui æstimatione, non pro alio, ut in Permutatione, datur: neque, ut in Cambio, pecunia pro pecunia permittitur, *Pirrhing ad hanc Rubr. n. 1. in fine.* Rem autem, quæ mercis rationem habeat, certam & determinatam esse oportere, receptum est; quòd rei incertæ pretium ut hic contractus exigit, certum illud non possit, *cit. Pirrhing n. 2.*

Neque rem incertam esse posse, præsumitur ex eo: quòd venditio emptio possit alea; jactisque retis & piscium vitiumque captura, *l. Nec emptio 3. pr. §. 1. ff. de Contrab. empt.* quæ nec certa

ne determinata sunt; cum contingere possit, ut parum multumve aut nihil capiatur. At, licet hoc ita sit, res tamen certa & determinata in hoc contractu non desideratur; cum non tam pisces & aves, quam capturæ spes, & pisces avésque, si in rete inciderint, percipiendi jus vendatur ac ematur, Bruneman in l. cit. n. 4. & Haunold. Tom. 4. de J. & J. tract. 8. num. 83.

Neque ultrarelatum istius Contractus constitutorum ternarium ad ejus substantiam etiam traditione aut domini translationem pertinere, in eam rem allegata Jura persuadent; quia l. *Convenit. cit.* sermo est de venditione vini ad mensuram, quæ ante mensurationem perfecta non est; quod vinum sub ea conditione vendi videatur, si fuerit ad mensuram, l. *Quod sape 37. §. 5. ff. de Contrab. empt.* cum ante mensurationem de certa quantitate vendita non constet, prout contractus substantia exposcit, Bruneman in l. *Convenit. cit. n. 1.* & Haunold. tract. cit. n. 4. §. autem *cit.* ante traditionem emptori adversus venditorem ex empto Actio non negatur; cum subjectis verbis venditori, ad eam tradendam obligato, rei loco pignoris retentio permitatur, donec pretium fuerit oblatum; sed solummodo dicitur, Actionem, quæ datur, ante obligationem pretii esse inefficacem & excipiendò posse elidi; quod in omni contractu ultro citroque obligatorio actor contractui satisfacere ex sua parte teneatur; nam, qui differt, quod ex contractu debet, id, quod ipsi debetur, petere efficaciter non potest, Gaill. *Pract. lib. 2. observat. 17.* & Bruneman. in l. *Julianus cit. n. 11.*

Dubium secundò est, an de istius contractus substantia sit Scriptura. Quia in re præ oculis habendus est modus conventionis inter Venditorem & Emptorem, vel enim inter istos de re pro pre-

tio nummario tradenda convenit simpliciter, vel inter eos id actum est, ut contractus non valeat, nisi super eo confecta & approbata sit Scriptura?

Si prius, hæc de contractus substantia non est; cum Regulæ instar receptum sit, scripturam ad contractus vel alterius actus substantiam non exigi, præterquam in casibus Jure expressis, arg. l. *Pactum 17. C. de Pactis*, Panormit. in c. 1. de *Us. que à pral. n. 4.* & Molina tract. 2. de J. & J. disp. 468. n. 7. Scripturam autem ad emptionis venditionis substantiam & valorem ullum Jus non exposcat: imò hanc sine illa contrahi posse, planè liqueat ex *pr. Instit. hac Rubr. & l. Cum res 12. C. de Probat.* Quin scriptura de istius contractus substantia verisimiliter etiam non est, quando, ut super eo instrumentum conficiatur, inter emptorem & venditorem convenit, sed consensum illius confectio non alligatur; quod instrumentum confici voluisse videantur; ut temporis longinquitate emptionis venditionis celebratæ non intercidat memoria, & non pereat copia probationis, Salas *Tract. de Empt. dub. 65.* Tuschus *Pract. V. Contractus, concl. 99.* & Ferd. Vafquius *Illustr. controvers. lib. 1. cap. 28. n. 23.*

Si posterius, Scripturam ad contractus substantiam pertinere, & ante illam perfectam & approbatam ullam obligationem non nasci, exploratum est ex *pr. cit. & l. Contractus 17. C. de Probat.* ratioque est; quia tali casu voluntatis intentio est conditionata & suspensiva obligationis; cum contrahentes obligari expressè nolint, nisi confectum & approbatum sit instrumentum; quò proinde non confectò & perfectò ex contractu non obligantur perinde, ut si inter eos nihil esset actum; quia à contrahentibus nihil actum censetur, quamdiu aliquid ex conventionis addendum superest, l. *Cum Silianum 11. C. de*

11. *G. de Hæ, quib. ut indign. cit. Molina disp. 337. n. 5. & Haunold. n. 14.*

10. Dubium tertio est, an emptio venditio, vel alius contractus sit, cum de re partim pro pretio sive certa quantitate pecuniaria, partim pro re, vg. de fundo pro mille aureis & domo, de equo pro triginta florenis & bove præstando convenitur. Qua in re interesse existimo, an pretium pecuniarium adjunctæ rei valorem excedat aut ab ista excedatur, vel pretium rei valorem adæquet; cum, si hunc notabiliter excedat vel ab eo excedatur, ratio habenda sit excessus; ut, si pretium adjunctam rem ita excedat, contracta emptio venditio: & contra Permutatio facta censetur, si pretium à re ita excedatur; quod tali casu contractus denominatio à majori, tanquam principali, desumatur, Gomez *Tom. 2. Var. cap. 2. n. 10. Covarruv. Lib. 2. Var. cap. 4. n. 9. cit. Molina disp. 336. n. 6. & Haunold. tract. 8. n. 9.*

11. Si autem pretium pecuniarium & res æqualis æstimationis sint, dissensio est inter DD. quibusdam cum Baldo Emptionem Venditionem contractam: aliis contractum Innominatum celebratum, asserentibus cum Bartolo, Melius autè *cit. DD.* ita partim Emptionis Venditionis, partim Permutationis contractum inquit, censent; quod tali casu verè de re partim pro pretio, partim pro re danda conventum; ac proinde verè contractus Mixtus, & Emptio Venditio quatenus respicit pretium, & quatenus respicit rem, Permutatio celebrata sit: licet, quando contrahentes eorum contractuum alterum celebrare intenderunt, talis, qualem verbis expresserunt, esse videatur ac dicatur.

12. Ex hæcenus declaratæ Emptionis Venditionisque partitionibus celebriores & notatu digniores tres sunt.

Prima in eam, quæ In scriptis & quæ

sine scriptis sit, *pr. & l. Contractus est.* quæ ejus species non eò differunt; quod super una, non etiam super altera, confectum sit instrumentum; cum ea etiam, quæ sine scriptis fieri dicitur, in scriptum redigi possit & frequenter soleat: sed eò; quod in Venditione actum sit, ut non valeat, nisi super ea confecta sit scriptura, & hæc pertineat ad substantiam contractus. Quando autem de instrumento super Venditione conficiendo post ejus contractum jam perfectum convenitur, vel etiam id in ipsius celebratione expostitur ad Venditionis probationem & memoriam conservandam, sine scriptis celebrata confectur; ut pœnitere, & à contractu impote jam perfectò recedere, altero invitò, contrahentium neutri liceat: quod tamen ipsis ante scripturam perfectam permissum est; cum venditio celebrata est in scriptis; quod ante confectum ac perfectum super ea instrumentum contractum noluerint valere, Covarruv. *in c. Relatum 11. de Testament. n. 19. Haunold. cit. n. 14. & Bruneman. in l. Contractus cit. num. 3.*

Alterà in Venditionem Generis & Speciei: quarum illà ex pluribus ejusdem generis rebus, vg. ejusdem Authoris libris, ejusdem formæ pileis, ejusdem æstimationis equis unus vel duo, nullà certâ specie vel, ut Philosophi loquuntur, individuo designatò venduntur: istà verò de uno vel pluribus certis speciebus seu individuis pro certo pretio tradendis convenitur. Inter quas venditionis species id discriminis intercedit; quod, si certâ species una vel plures venditæ ante traditionem nullâ venditoris culpâ pereant, interitus sit emptoris: contra, si venditi generis species sive individua pereant, interitus sit Venditoris; ut hic unicum vel duo residua emptori tradere ex contractu teneatur.

Postquam

Postremâ res, numero pondere & mensurâ constantes, vendi frequenter solent vel ad Corpus vel ad Mensuram. Ad Corpus venditio fit, quando plures species live individua per modum unius rei individua, sine numeri, ponderis, vel mensurâ expressione, vg. totus tritici acervus, omne vinum in cella vel dolio contentum sine ullâ scapharum modiorumve aut urnarum expressione venditur: quâ venditio etiam fieri dicitur per *Aversio-nem*; quod eâ omne periculum avertatur in emptorem, istiusque ipsi venditâ rei, sive ex toto sive ex parte pereuntis, interitus sit, l. *Cum convenit 2. C. de Pericul. & com. rei vend. §. 1. Qui officii 62. §. fin. ff. de Contrab. empr. cit.* Haunold. n. 50. & Bruneman in l. *Qui officii cit. n. 1.* Ad Corpus etiam rei vendita censetur, quando plurium specierum sive individuorum per modum unius rei individua, vg. totius acervi tritici vel omnis vini reconditi in cella venditio facta est cum numeri quidem, ponderis aut mensurâ expressione, sed non taxativè, sive animò contractum ad expressam scapharum, modiorum vel urnarum quantitatem restringendi: sed demonstrativè, sive solummodo ad rem demonstrandam & discernendam factâ. Ad Mensuram autem Venditio fit, quando genere comprehensarum specierum sive individuorum certâ quantitas, vg. ex frumenti acervo decem scaphâ, vel ex eodem vini dolio decem urnas, certò pretiò in scaphas vel urnas singulas vel unicò in omnes simul constituto, venditâ sunt; ut, si acervò doliòve denis plures scaphâ urnave contineantur, excessus venditus non intelligatur, *cit.* Haunold. *traçt. §. n. 52.* cujusmodi ad Mensuram factâ venditione si res vendita vg. acervus tritici aut vinum in dolio ante traditionem vel potius mensurationem pereat, interitus est venditoris, l. *Cum*

convenit cit. quòd venditio facta præsumatur sub conditione, *Si res adnumerata, admensa, vel appensa fuerit, l. Quod sepe 35. §. 5. & 6. ff. de Contrab. empr. cit.* Rath *ib. 61.* Haunold. n. 61. & Bruneman, *cit. n. 1.*

ARTICULUS II.

De Emptoris ac Venditoris mutuo Consensu.

SUMMARIUM.

16. *Vendi res potest absolute, vel sub conditione:*
 17. *Absolute vendita præsumitur verbâ, Volo vendere vel Emere:*
 18. *Uti & vendendi promissionem secuta traditione.*
 19. *Valida sunt venditioni adjecta pacta Additionis in diem.*
 20. *Legis Commissorie.*
 21. *Et de Retrovendendo:*
 22. *Dummodo retrovendendi onus contempserit.*
 23. *Eoque Pignoris contractus Usurarius non pallietur.*
 24. *Venditor tenetur ad rei, emptor ad pretii traditionem:*
 25. *Quâ emptor ferè rei dominium,*
 26. *Et aliquando ante eam consequitur.*
 27. *In re successivè vendita duobus, ante emptor primus:*
 28. *Post traditionem secundus præferatur:*
 29. *Nisi, rem priùs alteri venditam esse, sciverit.*
 30. *Emptori determinatè res ipsi vendita,*
 31. *Et venditori pretium exhibendum est:*
- M m a 32. Neque

32. Neque satisfit prestando interesse.
 33. Rei vendite interitus post traditionem,
 34. Et ante hanc etiam pertinet ad emptorem:
 35. Nisi intervenit culpa venditoris,
 36. Aut res vendita sub conditione,
 37. Vel solam indeterminata fuisset.
 38. Rei vendite fructus emptori cedunt,
 39. Etiam ante traditionem & pretii numerationem.

16. **C**onsensus in pretii pro re seu merce, & vicissim istius pro illo traditionem fieri potest ac solet vel absolute, vel sub conditione, vel adjecto pacto modove, ut de Contractibus generatim dictum *Lib. 1. tit. 35. & n. 66.* Hòc locò de Emptione Venditioneque

Dubium est primò, an absolutus in eam consensus latis declaretur verbis, *Volo vendere, Volo emere*; id enim negat *Mozzius de Empt. Vendit. col. 3. n. 46.* quòd *Vendere & Emere* plus sit, quàm *Emere ac vendere velle*; sicut plus est, *In arborem ascendere*, quàm, *Ascendere velle, Professionem Religionis emittere*, quàm *Emittere velle*: imò eam etiam *Vovere, c. fin. de Regular. in 6.* ac proinde, sicut posterioribus his verbis sola in arborem ascendendi aut profitendi voluntas aut professionis faciendæ promissio: sic etiam illis sola emendi vendendique voluntas, non Emptio Venditio actualis, sive in rei pro pretio traditionem consensus exprimitur.

At, licet hoc verborum strictà significatione spectatà ita sit, illorum tamen communi usu & circumstantiis attentis ex ipsis absolutum in emptionem venditionemque consensum præsumi, cum *Accursio in l. In vendentis 13. C. de Contrab. empt. & aliis, RR. præsertim & Germanis ICT. is* censet *Haunold. Tom. 4. de J. &*

J. tract. 8. n. 23. Ratio est; quia ad præpositum contractum plus non exigere quàm mutus consensus seu conventio de datione ac receptione certi pretii numerarii pro merce: qui consensus verbis *Volo hoc pretio vendere & emere* latis declaratur, sicut verbò *Volo* latis declaratur in ultimis voluntatibus; cum eò plena dispositio inducatur, *l. Pamphilo 39. §. 1. ff. de Legat. 3.* Quod in Vernaculis pro fra latis exploratum est; cum venditor & emptor consensum suum actualempissime exprimat verbis, *Ich will es alßo vel umb dieses Geld lassen / Ich will es alßo vel umb dieses Geld nehmen / Ich kauffen / vel kauffen* / iisque aut similibus verbis prolatis, quasi actualis venditio emptioque de præsentis contracta iam sit, ab emptore solvi pretiù & res tradit à venditore soleat. Sic etiam verbis, *Ich will dieß schencken* / actualis rei donatio, & in sponsis parochis, an se mutuo in conjuges habere velint, sciscitanti respondentibus *Volo*, consensus matrimonialis per verba de præsentis expressus censetur.

Alia quàm istorum ratio est verborum *Volo, ascendere in arborem* aut *Emere professionem*; quia ascensus in arborem est actio externa, quæ solà voluntatis declaratione perfici nequit. Contrà emptio venditioque solà voluntatis declaratione duobus actibus æquivalente perfici potest &, communi usu spectatò quenter solet: sicut absolute loquendo emitti etiam posset Religiosa professio, non, ut solet, exposceret certam formam & solennitates Religionis Constitutionibus aut moribus introductas: cuiusmodi formam & solennitates cum non exposcat emptio venditio, verbis quibusvis in rei pro pretio traditionem receptionemque consensum declarantibus &, communi usu spectato, etiam verbis, *Volo emere ac vendere*, celebrari ac perfici potest, & sic intelligitur perfecta.

18. Dubium secundò est, an ad emptionem venditionem contrahendam consensus sufficienter expressus censetur ab eo, qui vendere prius promisit, postea pretio acceptò eam tradidit sine alia consensu in contractum præstiti expressione; ita enim emptionem venditionem contrahi, negat Jafon in *l. Si ante 6. ff. soluto matrim.* quòd promissio vendendi non sit venditio, *arg. e. fin. cit.* atque idcirco eà secutaque traditione dominium non transferatur, *arg. l. Nunquam 31. pr. ff. de Acquir. rer. dom.*

Sed melius cum Socino in *l. Si ante cit. §. Lib. 2. consil. 170.* duo Facultatis nostræ Juridicæ Antecessores, Fachneus *Controvers. lib. 2. cap. 5. §. Ego,* & Rath, *de Contrab. empt. ib. 7. n. 8.* eosque ex T. secutus Haunold. *cit. Traët. 8. n. 24.* emptionem venditionem ita contractam, asserunt, solidà nixi ratione; quòd istius contractus perficiatur consensu, tali casu interveniente & satis superque declarato ipsa rei pro pretio accepto traditione ac receptione; cum facta & res non minus quàm verba signa sint voluntatis & interni consensùs, *l. De quibus 32. §. 1. ff. de LL. & l. Recursari 95. ff. de Acquir. hered.*

Neque Resolutionem hanc convellit Jafonis argumentum; licet enim nuda ejusmodi promissio venditio non sit, solaque rei traditione ejus dominium non transferatur: sed in rei pro pretio traditionem exigatur consensus, iste tamen in proposito casu non desideratur, satisque declaratur reciproca rei & pretii traditione receptioneque, præviæ ejusmodi promissioni superveniente: & cum mercium rerumque pretia lege vel usu taxata sunt, sæpe aliter non solet declarari; cum, qui à pistoribus panem, aliasque res certum pretium habentes, ab aliis emunt, non raro ipsarum pretium ad tabernam deponere, pro eoque pane aliâ

ve ejusmodi re venali accepta, & ne verbò quidem de emptione venditione factò, discedere soleant: à quibus emptionem contrahi, rerumque acceptarum acquiri dominium, nemo inficiatur.

Dubium tertio est, an Venditioni 19. adici valeat pactum additionis in diem ita; ut venditor rem venditam uni, intra certum tempus alteri emptori, meliorem conditionem v.g. majus pretium aut istius faciliorem vel maturiorem solutionem offerenti, addicere possit: cujusmodi conditionis venditioni adjectæ vi, si intra constitutum tempus melior conditio offeratur, eamque venditor acceptet, à primæ venditionis contractu receditur, resque secundo venditori addicatur: nisi meliorem conditionem, oblatam ab alio, emptor primus ipse præstare sit paratus, *l. Licet 7. ff. de In diem addit.* Si verò melior conditio non offeratur, aut eam oblatam venditor non acceptet, primæ venditione non resoluta res vendita irrevocabiliter est emptoris primi, *l. Quod autem 11. pr. ff. Rubr. cit.* Quæ & aliis legibus Imperialibus venditioni adjectum in diem additionis pactum Jure Canonico non reprobatur, idque reprobandi ulla ratio non fuit; cum enim venditor pretii à primo emptore oblatis, tanquam nimis modici, intuitu rem ipsi emptori vendere nolle, & alium plus offerentem expectare possit, nulla ratio est, cur venditioni primo emptori factæ apponi non valeat pactum seu conditio; ut, si intra certum tempus emptor alius meliorem conditionem offerat eamque præstare primus emptor nolit, priori contractu resolutò res secundo emptori addicatur.

Dubium quartò est, an venditioni 20. adici valeat pactum legis Commissoriæ; ut, si emptor pretium intra certum tempus non solverit, res sit inempta. Ratio dubitandi est; quia contingere potest, ut

est, ut emptor pretium solvere, si velit, non possit; quod, cum id offert, venditor domo absens sit, vel praesens oblatum sine iusta causa non acceptet, vel compensatione facta liberatus sit ab obligatione, vel ne solveret, inhibito sit a fisco, utente jure agendi contra venditoris debitoris sui debitorem sive emptorem. Verum, et si his casibus lex Commissoria cesset, *l. Si fundus 4. in fine & l. fin. ff. de L. Commiss.* ejus tamen pactum venditioni licite apponi: & si appositum sit, culpabili emptoris, pretium non exhibentis, mora rem inemptam evadere, & ad venditorem eam recuperare volentem reverti, liquet ex *l. Cum venditor 2. l. Nam legem 3. l. Si fundus 5. & c. ff. de L. cit.* cum enim emptionis venditionis contractus jam perfectus mutuo contrahentium consensu dissolvi, resque empta venditori & pretium emptori reddi queat, *arg. l. Nihil 35. ff. & c. 1. de R. I.* non apparet, cur inter hos initio conveniri nequeat; ut, si constituto tempore non solvatur pretium, vel alia conditio apposta non impleatur, contractus dissolvatur resque inempta habeatur; nam *Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur*, Regula est *§ 5. in 6. Dixi, Ad venditorem volentem*; quia in potestate & arbitrio ipsius est, an pretio intra constitutum tempus ab emptore non soluto lege Commissoria uti, remque inemptam facere velit. Quod si nolit, emptor contractu stare, eumque pretio postea soluto implere tenetur & cogi potest, *l. Si fundus cit. §. 2. cum*; ne, quod introductum est in favorem venditoris, in ejus odium ac dispendium retorqueatur, contra Regulam *l. Nulla ratio 25. ff. & l. Quod favore 6. C. de LL.* tum vero; ne emptori, suo facto & culpabili mora in solvendo rem faciendi inemptam, seque a propria obli-

gatione liberandi, facultas adstruatur, contra *l. Si servum 91. §. 4. ff. de V. O. Mantica de Tacit. & ambig. convent. lib. 4. tit. 29. n. 9. cit.* Molina *disp. 378. n. 2.* & Bruneman. *in l. Cum venditor cit. n. 2. & 3.*

Dubium quinto est, an venditio celebrari etiam valeat sub pacto rem venditam revendendi sive, ut loquuntur, retrovendendi. Quod oritur ex decisione Innocentii III. sub hujusmodi pacto celebratas venditiones, tanquam usurarias, reprobantis *c. Ad nostram 5. hac Rubr. & c. Illo vos 4. de Pignoriis.*

Nihilominus venditioni etiam tale pactum, sine usuraria aut alia iniquitate, adici posse, receptum est magno consensu DD. id passim delumentum et verbis, *Cuncta regio possessionis*, sive possessio regionis, *vestra sub conditione redemptionis vendetur*, *Levit. cap. 25. v. 24.* Verum, quia Divina hac lege venditae possessiones anno Jubilaei ad venditores sive antiquos possessores, etiam nullo pretio exhibitio, revertae sunt: & cum ante illius anni adventum, quod semper licebat, redimerentur, ex illis interea percepti fructus computandi erant in partem pretii, ut ex contextu constat, pactorum de re iusto pretio retrovendenda venditionibus adjectorum firmitas & honestas ex ea non satis est explorata. Evincitur tamen ratiō; quia venditioni adici a contrahentibus possunt onera: dummodo, quanti ista aestimantur, tantio a venditore, si ejus utilitatem onus possidet, minus pretium exigatur: aut, si apponatur in gratiam & comodium emptoris, ab isto majus pretium solvatur, ut patet ex *l. Fundi 19. ff. de Contrah. empt.* qua, propter oneris impositionem fundum minori pretio venditum, superponitur: & suadet ratio; quia ita pro re vendita non exigitur plus, quam re-

ipſa valet; ac proinde neque Uſuraria, neque alia iniquitas committitur; cū onus, quod à venditore appoſitum emptor in ſe recipit, ſit pretiū æſtimabile, & quodammodo pars pretii, quod iſte pro re ſolvit: &, quod ab emptore appoſitum in ſe recipit venditor, augeat æſtimationem rei ſive mercis; ut proinde venditor, rei ab emptore appoſitum onus ſubiens, merito iſtius æſtimationem & compenſationem exigat: & contra emptor, cū id ſubit, in ejus recepti compenſationem tantò minus pretium venditori ſolvat, quanti onus æſtimatur.

23. Neque hujusmodi pactioni *c. Ad noſtram cit.* relata Apoſtolica decifio adverteſatur; quia illà venditio, tanquam uſuraria, reprobata fuit, non propter intercedens pactum de retrovendendo: ſed; quòd non fuerit vera venditio, ſed potiùs contractus Pignoratitius ſub venditionis ſpecie initus; ut palliaretur uſura; cū eò venditor, aut veriùs ex Mutuo creditor, lucrari voluerit annuas penſiones & fructus ex domibus & olivis, in ſpeciem venditis, reiſpà pignori datis, provenientes; quod *in c. cit.* Interpp. & ceteri DD. cum laudato Innocentio colligunt ex circumſtantiis contractùs; primò enim Mutuum quidem petitum, ſed negatum fuit; quòd id petentibus emptor, ſeu potiùs creditor, ſine uſuris dare noluerit: eas autem exigere non poterit, quin incurreret poenas Concilii Lateranenſis, relati *c. 1. & c. Quia 3. de Uſuris.* Secundò; quòd pretium fuerit nimis modicum; cū juſti vix dimidium attingeret. Tertio; quòd duplici pacto contractui adjectò fuerit conſtrictum; cū ei domorum & olivarum venditarum redemptio primùm poſt ſepennium: &, hoc exactò, non niſi intra biennium permetteretur; ità que pro

pecunia, ſub venditionis ſpecie credita, tot annorum fructus intenderit lucrari. Quarto; quòd eadem res venditæ vel oppignoratæ poſt novennium totæ cederent emptori pro pretio, quòd vix dimidium numeravit. Quintò demum; quòd emptor de uſuraria iniquitate aliàs fuerit ſuſpectus. Ex quibus circumſtantiis, non ſeorſim ſed ſimul ſumptis, contractum animò uſurariò initum fuiſſe, laudatus Papa merito præſumpſit: quantumvis ad id præſumendum ſingulæ contractùs circumſtantiæ eſſent inſufficientes, Panormit. *in c. Ad noſtram cit. n. 10. & 12. & ibi Gonzalez n. 3.*

Ex ſimilibus circumſtantiis etiã contractum, *c. Illò vos cit.* relatum, in ſpeciem quidem Venditionem, reiſpà Oppignorationem pro mutuo: & iſtius iniquitatem illius velamine palliatam fuiſſe, idem ſummus Pontifex pronuntiauit, ut cum Covarruv. *Lib. 3. Var. cap. 9. n. 2. in c. cit.* advertunt Vivianus *in c. cit. & ibi Barboſa n. 3.*

Contractu mutuo conſenſu perfectò ^{24.} & impletis conditionibus, ſub quibus de re pro pretio tradenda intra contrahentes conventum eſt, emptori pretium offerenti venditor rem tradere, & venditori hanc offerenti emptor pretium numerare tenetur; ut neutri invitò alterò à contractu recedere fas ſit, Molina *Tract. 2. de I. & I. diſp. 337. n. 1.* & Perez *in C. de Contrah. empt. n. 1.* Prior autem ad traditionem tenetur iſ, qui rem aut pretium conventum ſibi tradi prior petit, ſive iſ emptor ſive venditor ſit; quia generale eſt, eum qui ad ultro citròque obligatorii contractùs impletionem agere & alterum cogere vult, eum priùs implere, aut ad eum implendum paratum eſſe oportere, *l. Julianus 13. §. 8. & l. Qui pendentem 25. ff. de Act. empti.*

Quantum-

25. Quantumvis autem Venditionis contractus ante traditionem quoad substantiam perfectus jam sit, *l. Consensu 2. ff. de O. & A.* ad integram tamen ejus perfectionem & consummationem live; ut dominium rei, cujus venditor dominus fuit, in emptorem transferatur, ejus traditionem accedere est necesse; cum Regula instar sit, traditionibus, non nudis pactionibus & titulis, ut emptio venditio est, rerum dominia transferri, *l. Traditionibus 20. C. de Pactis & l. Nunquam 31. pr. ff. de Acquir. rer. dom.* Lessius *Lib. 2. de I. & l. cap. 21. n. 1. V. Porro & Manzius in §. Interdum 44. Instit. de Rer. divis. n. 1.*

26. Regula tamen ista patitur exceptionem; aliquando enim rei venditæ dominium in emptorem transferatur sine traditione, veluti Primò, cum ea vendita est Ecclesie, Monasterio, aut alteri loco Sacro vel Religioso; quia hujusmodi loca, sicut & civitas, munita sunt speciali privilegio, vi cuius ipsis simplici Venditione, Donatione, Legato dominium quæritur ante traditionem, *l. fin. C. de SS. Eccles. cit.* Covarruv. *n. 2. & Molina n. 7.* Secundò, cum emptori rem ex aliqua causa, v.g. Commodati vel Depositi jam traditam dominus vendit, & apud eum tanquam dominum manere patitur; cum, quia paria sunt, tradere, & rem, cui jam antè aliquis incumbit, pro tradita habere, *l. Qua ratione 9. §. §. ff. de Acquir. rer. dom. & §. Interdum cit.* tum verò; quòd fictione Juris res brevi manu ex Comodato vel Deposito reddita, & postea ex vendito iterum tradita intelligatur, Manz. *in §. cit. n. 4.* Tertio, eodem modò, si frumentum, vinum aut alias merces horreò, cellà vel tabernà conclusas vendens, horrei, cellæ, tabernæ claves emptori tradat, illarum dominium seu proprietatem in emptorem

transfert; quia, traditis clavibus, sub eorum custodia contentæ res traditæ intelliguntur, §. *Item si quis 45. Instit. de Rer. divis. ubi Manzius n. 2.*

Dubium nunc ulterius & tertio est de venditione ejusdem rei, successive facta duobus. De qua ex *l. Quoties 1. ff. C. de R. V.* desumitur distinctio; vel enim res neutri, aut alteri tradita jam est? si prius, & rei dominium in neutrum est translatum, eam primo, non secundo emptori tradendi obligationem dari, apud melioris notæ DD. est receptum, *arg. Reg. Quoties 98. ff. & Reg. Qui prior 54. in 6.* Ratio est; quia ad injuriam alteri, scilicet primo emptori, rem alii tradendò inferendam, tanquam ad aliquid impossibile, nemo obligatur, cum id solum facere quis possit, quod justè facere potest, *can. Facias, junctè Glo. sã V. Quod potest, 22. q. 2.* Unde, qui rem uni jam venditam secundo contractu alteri vendere præsumit, falli pona, coercetur, *l. Qui duobus 21. ff. ad L. Cornel. de Fals.* Si posterior, reque dominium in posteriorem translatum jam est, secunda venditio, quantumvis priori emptori injuriosa & graviter peccaminosa. Jure subsistit, *l. Quoties cit.* ad eum ferè modum, quò matrimonium à Titio, post sponsalium fidem Caiæ contractam, cum Berta contractum Caiæ impuriolum quidem & peccaminosum, sed validum est, *c. 1. de Sponsa duor.* Ratio est; quia primà venditione perterritus venditor, licet ad rem emptori tradendam obligetur, tamen retinet ejus dominium, quod proinde, rem contra obligationem suam tradendò, in alterum transferre validè potest, Covarr. *Lib. 2. Var. cap. 19. n. 2. cit. Molina disp. 3. p. n. 7. & Haunold. n. 72.*

At, licet hæc ita sint, primus tamen emptor agere adversus venditorem potest

potest non solum ad restitutionem pretii, si quod iste accepit, sed etiam ad solvendum interesse, quanti scilicet emptoris interest, rem sibi venditam habere, *l. Qui tibi 6. C. de Hæred. vel ad. vend. & l. Si ancillam 11. C. de Ad. empti.* Imò, si secundus emptor rem alteri jam venditam esse scivit, prior ejus emptor, si ad interesse agere nolit, secundum convenire potest Actione in factum & rem in fraudem & præjudicium suum ab isto emptam, recuperare, *arg. l. 1. ff. De his, que in fraud. credit. Gomez Lib. 2. Var. cap. 2. n. 20. cit. Molina n. 9. & Hauptold. n. 74.*

30. Dubium & celebris controversia septimò est, an emptori contractus implementationem petenti venditor determinatè ipsam rem venditam sive mercem tradere teneatur, vel ei interesse solvendo liberetur. Sunt enim DD. qui cum Fachinneo *Controvers. Lib. 2. cap. 20.* istius solutione venditorem liberari, asserant, permoti variis legibus, quibus, renon traditè ad id, quod interest, agendum & venditorem condemnandum, asseritur. Rationem reddunt; quod venditor obligetur ad factum sive traditionem, *l. Si rem 20. ff. de V. O.* in facti autem obligationibus sufficiat præstare id, quod interest, *l. Stipulationes 72. V. Celsus ff. eadem Rubr.*

Verius tamen est, & à TT. ferè supponitur, eum ad ipsam rem tradendam obligari, ut cum Felino *in c. Joannes 10. de Fide instrument. n. 34.* & Pannotit. *in c. cit. n. 16.* docent Sichard. *ad Rubr. C. de Contrah. empt. n. 8.* Covarruv. *cit. cap. 19. n. 1.* Gomez *cit. n. 20.* Perez *in C. ad eandem Rub. n. 14.* Harprecht *in pr. Instit. hie n. 34.* & ex Collegii nostri Juridici Antecessoribus subtilis Arnold. *Rath. de Contrah. empt. § 165 57.* cum propter claros textus *l. Ex*

empto 11. §. 1. ff. de Adion. empti, ibi; *Ipsi rem præstare creditorem, id est, tradere oportet, §. 1. Instit. hie,* ibi; *Contractu perfectò omnimodo pretium persolvatur & res tradatur, & venditio ad effectum perducatur, & §. e. Alie 2. Instit. de Donat.* quò locò donatam & venditam rem tradendi eadem necessitas asruitur. Id ipsum evincit ratio; quia, si venditor non nisi alternativè ad rei traditionem vel ad interesse solutionem teneretur, rem uni venditam licitè vendere & tradere posset alteri: imò huic sine actuali traditione facta secunda venditio valida foret; cum uni tradendò rem, alteri interesse solvendò: quin hoc utrique, & rem neutri præstandò, ex contractu orta obligatio adimpleretur: quod tamen clarè adversatur *l. Qui duobus cit.* & communi sensui DD. hujusmodi venditorem perfidie & injustitiæ non minùs redarguentium, quàm sponsam, quæ post matrimonii contrahendi fidem datam uni sponsalia iniret cum alio: & sicut posteriora sponsalia, sic etiam secundam venditionem habentium pro nulla: neque ad interesse, sed ad ipsam rem tradendam venditorem obligantium, sicut ad conjugium cum primo ineundum obligant sponsam.

Confirmatur paritate emptoris, determinatè ad pretium venditori rem offerenti solvendum obligati: & non satisfaciendi, ei aliquid æquivalens præstandò. Cum ergo, sicut iste de pretio pro re, sic venditor dere pro pretio tradenda conveyerit, sicut ille pretium, sic iste rem tradere tenebitur; ne deterius, quàm est venditor, sit emptor: cuius conditionem etiam valde duram redderet necessitas probandi interesse: quòd, cum in facto consistat, *l. Quatenus 24. ff. de R. I.* difficilis est probationis, *l. fin. ff. de Stipul. Prator.*

N n

Neque

Neque aliud evincunt leges, pro venditoris libertate solitæ allegari; quia earum plures ad interesse solvendum adstringunt eum, qui rem tradendi non habet facultatem emptori; quod venditor in mora tradendi, itaque factum sit; ut rem amplius tradere non possit propter ejus interitum, evictionem, traditionem alteri factam; tali enim casu, cum exhibere nequeat rem, interesse præstando liberatur. Simili modo, cum venditor in mora emptori damnosa est, iste eligere potest, an ad interesse vel ad rei traditionem agere velit. Alias expositiones dabunt *cit.* Harprecht à n. 49. & cum eo Haunold. *cit.* *tract.* 10. à n. 18.

Minus, quam leges, urget ratio, cum; quia rei venditæ traditio non est aliquid nudi & in labore personali consistens Facti: sed Juris quoque; cum domini aut usucapiendi conditionis translationem involvat, ut rectè advertit *cit.* Harprecht n. 61. tum verò; quia, licet aliquid facere obligatus interesse præstando liberetur, quando factum principaliter & ultimè intenditur, tanquam finis, *vg.* alicujus opera in ædificando, arando &c. id tamen præstando non liberatur, sed ad ipsum factum obligatur, quando hoc intenditur tanquam medium ad translationem domini vel conditionis ulucapiendi, *cit.* Haunold. n. 21.

33. Dubium octavò est, cui res vendita intreat vel deterioretur. Non quidem jam tradita; hujus enim interitum ac deteriorationem ad emptorem, etiam qui pretium nondum solvit, pertinere, patet ex l. *Lectos* 12. §. 1. *Quod si* 14. ff. de

34. *Periculo & com. rei vend.* Sed nondum tradita: cujus casu aliquò intereuntis vel deterioratæ damnum ad venditorem pertinere, suadet non levis ratio; quòd rem perire domino suo, sive ejus periculum

& casu aliquò intereuntis vel deterioratæ, damnum ad hunc pertinere, Regulæ instar desumatur ex l. *Si nulla* 8. §. 1. *Pignus* 9. C. de *Pignor. act.* rei autem venditæ & nondum traditæ dominus venditor sit, *arg.* l. *Traditionibus* 20. C. de *Patris.*

Sed rationi huic prævalet aperta decisio Juris, rei certæ ac determinatæ, *vg.* fundi Corneliani vel Bucephali, absolute venditæ & ante traditionem sine venditoris culpa & culpabili mora intereuntis vel deterioratæ damnum transferentis in emptorem; ut iste non solum pretium jam solutum non valeat repetere; sed non solum solvere teneatur, l. *Quod sepe* 35. §. 4. ff. de *Contrab. emp.* l. *Necessariò* 8. pr. ff. l. 1. §. C. de *Pericul.* & *com. rei vend.* §. *Cum autem* 3. *Instit.* hic quòd æquitati & rationi naturali congruum sit; ut, ad quem rei accessiones & fructus, etiam detrimenta & damna pertineant, *Reg. Secundùm* 10. ff. & *Reg. Qui sentit.* 15. in 6. Cujus utriusque ulterior ratio est; quòd rei venditione mutuò consensu perfectà emptor habeat Actionem ad eam petendam, & fictione Juris rei quodammodo dominus reputetur; cum, *Qui Actionem habet, rem ipsam habere videatur*, *revertus est* l. 15. ff. de *R. I.* & l. *Si quis 21. in fine* ff. de *Negot. gest.* id, quòd debetur debitori, puta venditori, dicatur abesse; ac proinde creditori, puta emptori, adesse: & huic potiùs, sicut conservari & meliorari, sic & deteriorari atque interire, quam venditori, qui cum certæ speciei debitor sit, ejus interitu liberatur, *arg.* l. *Quod te* 5. ff. de *Reb. credit.* *cit.* Gomez n. 22. Molina *disp.* 366. n. 11. & Haunold. n. 39. Unde corruit ratio allata pro emptore; quia iste, cum rem à venditore avocare ad libitum potest, instar domini habetur.

Magis urget *l. Si fundus 39. ff. Locati*, secundum cuius *V. Nam & si fundi* post venditionem perfectam publicati jactura spectat ad venditorem; cum ad pretium restituendum obligetur. Cujus decisionis vim Interpretes variè: *cit. Haunold. n. 49.* cum Arnaldo Rath enervat auxilio distinctionis inter periculum seu damnum Facti & Juris; quorum illud juxta dicta ad emptorem, hoc juxta *l. cit.* ad venditorem asserit pertinere; ut, quando rem venditam emptori tradendi impotentia ex aliquo facto, v.g. casu fortuito, furtivâ aut violentâ ablatione provenit, ejus intereuntis vel deterioratæ damnum emptori: quando autem provenit à Jure, puta, quòd nullâ emptoris culpâ evincatur, vel à Principe ob necessitatem boni publici, v.g. ut in fundo munio excitetur, venditori sit subeundum,

35. Dixi autem imprimis *Sine culpa* &c. quia, si ad rei venditæ custodiam diligentiam exactiorem, hoc est, qualem in rebus suis custodiendis accuratiores solent, non adhibuisset, itaque ejus interitus vel deterioratio accidisset venditoris culpâ, non solum latâ, sed etiam levi, aut in tradendi mora culpabili fuisset, damnum non emptoris foret, sed venditoris, *l. Custodiam 3. & l. Illud 17. ff. de Pericul. & com. rei vend. citr. Gomez n. 32. & Molina n. 13.*

36. Deinde, *Absolutè*; quia sub conditione venditæ, & ante impletam conditionem intereuntis damnum pertinet ad venditorem, *l. Necessario cit. pr. V. Et si id, & l. Cum speciem 5. C. de Pericul. & com. rei vend.* quia ante impletam conditionem venditio non est perfecta: sicut etiam ante vini gustationem, vel equi probationem non omnino perfecta, & rei periculum ad emptorem nondum pertinere censetur, quando viam aut

equus venditus est ad futuram explorationem, *l. 1. pr. l. Si quis vina 4. §. 1. ff. eadem. Rubr. Intereuntis*, inquam, quia ejus sine venditoris culpa solum deterioratæ damnum, si conditio postea impleatur, pertinet ad emptorem: cujus etiam sunt ejus interea factæ accessiones & meliorationes, *pr. & V. Quodsi cit. lidem Molina n. 18. & Haunold. n. 49.*

Demum, *Rei determinata*, sive unius vel plurium certorum individuum; quia, si res vendita esset indeterminata, v.g. decem urnæ vini ex certo dolio, totidem libræ piperis ex sacco vel modii frumenti ex istius acervo, vel oves ex grege, rei venditæ periculum & damnum pertineret ad venditorem; quia contractus nondum perfectus & absolutus, sed suspensus est, donec res vendita sit adnumerata, admensa, appensa, *l. Quod Sape cit. §. 5. & 7. & l. Cum convenit 2. C. eodem.* Aliud esset, si integrum dolium, acervus &c. venditus esset per Aversionem, ut loquuntur, hoc est pretiò non in urnas, modios &c. singulos, sed pro toto dolio vel acervo constitutò, neque eorum numerò, mensurâ, pondere bene perspectis vel exploratis, vulgò *vber haubt*; hòc enim casu; quòd venditio à nulla conditione etiam tacitè intellecta pendens, sed omnino absoluta & perfecta sit, rei venditæ periculum & damnum pertinet ad emptorem, qui ita contrahendò id in se quasi avertit, *cit. Molina n. 5. & Haunold. n. 50.*

Dubium non est, de rei venditæ & nondum traditæ fructibus. De quibus, si convenerit inter contrahentes, conventionè standum est, *l. Qui fundum 40. §. 3. ff. de Contrah. emp. & l. Julianus cit. §. 10.*

Si autem non convenerit, dubitandè ratio fere eadem, quæ de ejusdem rei periculo est; quòd scilicet unaquæque

N n 2

res fru-

res fructificet domino suo. Sed aliud obtinet in re vendita, cujus accessiones §. Cum autem 3. V. Sed, post Institut. hic & fructus omnes, contractus perfecti tempore pendentes, emptori addicuntur, l. Julianus cit. §. 10. cit. l. Fructus 13. §. l. Post perfectam 16. C. de Act. empti: qui proinde ex agro ante messem, ex vinea ante vindemiam empta provenientes fructus omnes percipit, Gomez cit. cap. 2. n. 11. Covarruvias Lib. 1. Var. cap. 15. n. 2. & Molina disp. 368. n. 2.

39. Imò ad eundem emptorem etiam pertinent fructus, post emptionem perfectam v.g. fundi, ante istius traditionem & pretii etiam solutionem nati, ut cum Sylvestro V. Usura 2. q. 11. & Lessio Lib. 2. de l. & l. cap. 21. n. 109. docent Laiman Lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 17. n. 18. Harprecht in §. Cum autem cit. n. 25. & Haunold. Tract. cit. n. 65. id defumentes ex l. Julianus cit. §. 18. quidquid servus venditus ex operis vel aliò modò ante traditionem acquirit, emptori attribuite: ex l. Fructus & l. Post perfectam cit. quibus pecorum fortis & rerum venditarum fructus, sine ulla inter natos & nascituros distinctione eidem emptori adjudicantur. Quod etiam evincit ratio æqualitatis, exigentis; ut, ad quem rei venditæ periculum & damna, ad eundem etiam accessiones, commoda & fructus pertineant; cum ejus, licet ipsa nondum sit, Juris tamen fictione propter ejus ad libitum avocandæ jus quasi dominus reputetur.

ARTICULUS III.

De rerum Venalium Pretio.

SUMMARIUM.

40. Pretium in Emptione Venditione certum,
41. Et in pecunia numerata constitutum, exigitur,
42. Taxatum Lege, serè indispensabile,
43. Ex communi estimatione definitum, triplex est.
44. Rerum pretium variatur propter labores & sumptus in eas factos,
45. Propter emergens damnum aut lucrum cessans,
46. Et singularem erga eas affectionem.
47. Propter solutionis non recipiendæ periculum:
48. Propter mercium raritatem & multitudinem emptorum,
49. Modumque eas Vendendi.
50. Non etiam propter singularem indigentiam alicujus emptoris.
51. Res carius, quàm incolis, vendi nequeunt peregrinis:
52. Nisi istorum affluxu multum augetur numerus emptorum,
53. De justo pretio rerum, certam estimationem non habentium, curri sensus DD.
54. Contrahentibus non licet, se mutuo circumvenire.
55. Circumventus tamen in Foro extor no non semper habet Actionem,
56. Saltem, si infra justii pretii dimidium sit læsus.
57. Intra quod alterum ladens ad restitutionem in Conscientia tenetur,
58. Et Evangelicè denunciatus ab Ecclesia compellitur.
59. Ultra dimidium læsus venditor ad deficientis pretii supplementum,
60. Et emptor ad excessus restitutionem, vel ad contractus rescissionem agunt.

61. Secundum aliquos, quando rem, centum constantem, 152.
 62. Verius non nisi illam plus quam ducentis emerit:
 63. Ea tamen Alia non competit lesa Transactione.
 64. Aliis vero Contractibus lesa predest:
 65. Nisi ei lesus renuntiari,
 66. Vel pretii defectum aut excessum donari,
 67. Vel res casu sortitio sit perempta.

porum varietate varium & non idem semper sit, qualescunque tamen publica taxatione statutum est, ab omnibus debeat observari, neque pro venditorum emptorumve arbitrio augeri vel minui queat: Aliquando desumitur ex ipsa natura rerum venalium, non in se tantum consideratarum, sed relatarum ad hominum necessitatem utilitatemque, eorum affectionem, voluptatem & similes circumstantias: quæ, quia pro hominum diversitate variæ sunt, non raro accidit; ut eandem rem aliqui pluris, alii minoris: & quam aliqui decem, alii novem aut octo duntaxat: alii undecim vel omnino duodecim aureis æstiment. Quæ causa est, cur rerum, quæ à lege seu taxatione publica certum non habent, pretium justum triplex, Summum, Medium, Infimum à DD. statuatur; cum res, cujus medium, sive, ut vocant, Moderatum pretium sunt centum, ab aliis summò, sive, ut loquuntur, rigorosò centum & quinque, ab aliis infimò nonaginta quinque duntaxat, quod etiam Pium pretium vocari solet, æstimetur, Navarrus *Manual. cap. 23. n. 79. Molina Tract. 2. de J. & J. disp. 347. n. 4. & Laiman Lib. 3. f. 5. tract. 4. cap. 17. n. 4.* Hæc satis explorata.

40. Pretium, ad Emptionis venditionis substantiam requisitum, esse debet certum, sive certa ejus quantitas, pr. V. Pretium. §. 1. *Instit. hæc Rubr. sive id certum ipsi contrahentes mutuo consensu definiverint, sive in arbitrium (non unius ex ipsismet, scilicet emptoris aut venditoris) sed alicujus tertie personæ contulerint, §. cit. l. In venditio 15. §. l. fin. C. de Contrab. empr. rei enim pretio ab hoc definitò contractus valet, Petz in C. eadem Rubr. n. 18.*
 41. Pretii autem nomine latè, res quæcunque alterius æstimationem adæquans: propriè autem acceptò veniunt nummi sive pecunia numerata, §. Item pretium 2. *Instit. Rubr. cit. quæ pro merce seu re emptæ datur, certamque æstimationem à publica autoritate habet: & suadente publicâ utilitate, imò necessitate exigente, constituta est; ut rerum humano commercio subiectarum vendendarumque & emendarum æstimatio esset.*
 42. Quod autem rerum venalium pretium, sive, quæ quantitas nummorum sive pecuniæ earum justa æstimatio sit, aliquando lege, sive Principis aut alterius similis Magistratûs, vg. vinum, frumentum, censum annuum æstimantis, publicâ ordinatione definitum est: quod ferè indivisibile esse solet; ut, licet pro tem-

Dubium autem primò est de rerum pretii variatione: cujus per frequentem rerumque circumstantiis accommodatum usum justâ ratione plerumque aut saltem frequenter niti, communis sententia est TT. pariter & JCT. um, rerum pretia Magistratûs taxatione, imò etiam privatorum, illas venales exponentium, æstimatione augeri minuique ex variis causis permittentium: &

Primò quidem propter labores, pericula & sumptus in iis colligendis cõmendisque, asportandis & conservandis factos, saltem si rerum pretium autoritate publicâ non sit constitutum, vel com-

muni usu receptum, Scotus in 4. dist. 15. art. 2. & Major dist. cit. q. 41. eosque non obscure secutus Haunold. Tom. 4. de J. & J. tract. 8. n. 155. Ratio est; quia labores, pericula & sumptus illi pretio æstimabiles sunt: ut eorum compensatio iuste exigatur ab eo, qui illos pro communi utilitate subit; & quia compensatio alia ratione quam auctō juxta illorum modum pretio obtineri nequit, istius auctōnem Venditori permitti, æquitatis ratio exposcat.

45. Secundò, propter damnum aut jacturam venditori emergentem ex venditione, aut justum lucrum ex ista cessans. Ratio est; quia etiam hæc pretio æstimabilia, ac proinde obnoxia sunt compensationi; cum eadem æquitatis ratio non permittat, ut venditor ex contractu damnum & lucri cessantis interitum patiat; ne cum dispendio aut contra utilitatem suam de proprio beneficium facere cogatur, can. Precaria 4. §. Decrevit, 10. q. 2. cit. Molina disp. 351. n. 2.

46. Tertiò propter singularem ad rem affectionem: cujus etiam multòque magis ex ea perceptæ singularis utilitatis ratione auctoris pretii exactionem cum Navarro Manual. cap. 23. n. 84. venditori permittunt cit. Molina n. 3. Lessius Lib. 2. de J. & J. cap. 21. n. 27. & alii, eamque permittendi ratio est; quòd rem, in quam singulari affectione fertur, vendens se privet non tantum re, sed etiam peculiari affectione & oblectatione, quam ex ea percepit: quæ ipsa quoque cum æstimabilis sit pretio, hoc juxta ipsius moderatæ modum auctius exigere potest.

47. Quartò, propter verisimile periculum & rationabilem timorem solutionis pretii non obtinendæ, ac proinde pretii cum merce amittendæ: cujus intuitu auctius pretium iuste exigere, cum cit. Navarro n. 83. & Medina de Restitut. q. 38. §.

Ad tertiam, docent laudati Molina disp. 356. n. 4. Lessius n. 54. & Card. de Lugo de J. & J. disp. 26. n. 90. Ratio est; quia pretii pro merce non recipiendi periculum venditori etiam prudenter creat non levem molestiam ac sollicitudinem, cujus in emptoris gratiam in se susceptio æstimabilis est pretio, istiusque auctōnem compensari potest, sine omni inæqualitate inter datum & acceptum vel potius promissum; cum certa & jacturæ periculo non obnoxia solutio pretii minoris æquivalet, imò prævaleat incertæ & cum jacturæ periculo conjunctæ solutioni majoris.

Quintò propter rerum sive mercium penuriam ac raritatem vel copiam, & paucitatem vel multitudinem eas venditium ementiumve; ex qua causa superfluis annis frumenti Scapha Ingolstadtensis, quæ ante quinque venis, postea ad viginti, imò ad triginta & quadraginta florenos ascendit; quòd ante illius copia major & emptores pauciores: postea hi permulti, & illius copia minor fuerit. Ratio justitiæ auctōnem vel diminutionem pretii ex hac causa est; quia, quòd rarum carum est & difficilius comparatur, pretium fertim si, ut res ad usum necessariae solent, à pluribus appetatur, quàm id, cujus copia & à quibus appetatur, pauci sint, cit. Molina disp. 347. n. 4. Lessius n. 30. & Haunold, n. 154. in fine.

Sextò propter modum vendendi & emendique; sic enim majori res singillatim quàm cumulatim, ad creditum quàm pro solutione parata, & minori pretio libere hastatæ, obtrusæ ultròque oblatæ, quàm alia res vendi solent partim; quòd crebra & minutæ venditori plus laboris ac molestiæ minisque utilitatis plerumque conferant, quàm una vel pauca quantitate magnæ venditiones: partim verò; quòd res ita vendendi causa fere sit copia rerum & paucior.

& paucitas emptorum ac pecunia, vel rerum non magna utilitas aut necessitas publica, *cit. Navarrus n. 78. & 80. Molina disp. 348. n. 5. Lessius n. 32. & 56. & alii*, qui iusta variationis pretii alias causas dabunt.

Dubium secundum est, an res carius vendi & vilius emi queat ob solam indigentiam, necessitatem vel utilitatem particularis alicujus emptoris, aut venditoris pecunia valde indigentis. Neque enim desunt DD. qui hanc pretii variandi causam iustam esse arbitrentur. Sed male; quia, si hoc verum esset, panem aliaque victualia & res necessarias carius famelico, & pauperi quam diviti: atque etiam ei, qui ex re pretiosum aliquid elaboraturus est, ex hac sola causa majori pretio vendi posset; quod cum Doctore Angelico 2. 2. q. 77. art. 1. & aliis TT. merito negant *cit. Molina n. 6. & Haunold, n. 156.* Ratio perspicua est; quia indigentia, necessitas & utilitas ista non est aliquid ipsius vendentis, sed ementis; ac proinde non apparet, qua ratione pro ea, tanquam re non sua, aliquid exigere & pretium augere valeat.

Neque ex tali causa rem carius vendenti, aut ementi vilius, patrocinetur; quod variationis pretii iusta causa sit rerum necessitas & utilitas publica; cum enim, ut dictum, iustum pretium id reputetur, quod constitutum est legitimi Magistratus autoritate publica, vel communi usu receptum, id non ex unitis vel alterius emptoris aut venditoris necessitate vel utilitate particulari & mere privata, sed ex communi duntaxat augetur, vel minuitur; quod, istius duntaxat consideratione, publica autoritate magistratus & communi fori usu varietur.

Neque etiam; quod rei pretium augeti queat ratione utilitatis aut specialis erga illam affectionis; quia alia istius ra-

tio est, quam specialis utilitatis, necessitatis & indigentiae ipsius emptoris; cum enim rei suae venditione emptoris utilitatem promovendū & necessitatem sublevandū venditori nihil præter rem decedat, non apparet ratio, cujus intuitu ultra taxatum aut commune rei pretium exigere aliquid possit: licet id possit ratione propriae suae utilitatis & specialis moderataeque affectionis erga rem; cum hanc vendendū non ejus tantum dominium transferat in emptorem, sed in istius gratiam speciali quoque & pretio aestimabili utilitate voluptateque ex re perceptæ se privet.

Dubium tertium est, an res majori pretio peregrinis & per loca transeuntibus, quam incolis vendi queat. Ratio dubitandi est; quod, sicut nec rem alienam emere, nec suam vendere quis invitatus cogi potest, *l. In vitum 11. C. de Contrab. empt.* sic rei suae pretium statuere quis pro arbitrio valeat, *l. Tutor 8. in fine ff. De in litrem jus.*

Sed hac in re præ oculis habendum est decretum Concilii Valentini, vel potius Arvernensis, cujus *cap. 7.* relato *c. 1. Presbyteri*, id est, parochi plebes suas admonere jubentur; *ut non carius vendant transeuntibus, quam in mercato*, id est, foro, in quo res venales exponuntur, *vendere possunt*, Gonzalez in *c. cit. n. 1. 2. & 5.* Ratio decreti Synodalis est; quia Pietatis & Charitatis ratio ex postulat; ut peregrini ac transeuntes humaniter tractentur; *arg. can. Quiescamus 2. dist. 42. & c. Unico de Cleric. peregrinis*: & ne victualia aliaque res venales pretio iusto, eoque, quod communi fori usu receptum est, majori vendantur, Justitia non permittit, *S. Thomas art. 1. cit. & in c. 1. cit. Barbosa n. 7. Gonzalez n. 9. & cit. Molina disp. 346. n. 1. qui tamen n. 2. non male excipit ca-*

lucra

lucri faciendi causâ confluentibus crescit multitudo emptorum; cum enim tali casu rerum pretia crescant, merces auctiori pretiò vendi extraneis, quam antè confuevit incolis: hisque illius augmentum liberaliter remitti valebit.

Neque cum decreto Synodali relato pugnat ratio dubitandi; quia rerum pretium non ita arbitrarium est, ut vel augeri à venditore, vel ab emptore minui pro libitu possit: sed observandum illud est, quod taxatum lege publica aut fori communi usu est receptum. Quantumvis etiam rem suam vendere neminem inuitum cogi, Regula sit, hæc tamen perpetua non est; cum non desint casus, quibus quis rem suam, non solum quam publicè exposuit venalem, cuius pro ea pretium offerenti, sed eam etiam, quam venalem non exposuit, vendere cogatur: idque vel maximè tempore magnæ necessitatis & inopiæ rerum victualium ad vitæ conservationem necessariorum; cum, qui his abundant, ad sublevandam indigentium necessitatem illas iustò pretiò vendere teneantur: & licet non propositâ Actione, implorato tamen nobili Officiò iudicis compelli possint, *can. Sicut 8. junctâ Glossâ V. Esorientium, dist. 47. §. 1. §. 11. ff. de Praef. Urb. ubi Bartol. n. 1. Panormit. inc. 1. cit. num. 7. & 8. Covarruv. Lib. 3. Var. cap. 14. n. 1. Gomez Tom. 2. Var. cap. 2. n. 52. & Surdus de Aliment. Tit. 1. q. 77.*

53. Dubium quartò est de pretio rerum, neque à lege, neque etiam à communi usu certam æstimationem habentium, ut sunt gemmæ, volucres aliæque animalia, & merces ex remotis regionibus recens advectæ, statux & nummi antiqui: quibus non pauci, quodlibet, quantumcunque magnum pretium, à venditore statui: alii pro ipsis illud solum exigi posse volunt, quod rei qualitate, novitate, utilitate,

factis in eam expensis & similibus circumstantiis ponderatis, viri prudentes iustum esse, communiter iudicant. Quorum sensus, licet æquitati & rationi magis congruat; quòd pretia rebus talia imponenda sint, quæ communem æstimationem non excedunt, *l. Si feruum 33. pr. ff. ad L. Aquil. §. 1. Pretia 63. pr. ff. ad L. Falcid.* damnare tamen non aulim ei contrariam Opinionem, propter auctoritatem DD. eam propugnantium, & præsertim mercatorum, apud Æthiopes & Indos, vitæ, fistulas aliàsque exiguas & prope nullius apud nos æstimationis res proavero, gemmis aliisque pretiosis mercibus permutantium: & ab iis ad nos allatas & sæpe levissimò pretiò comparatas merces vendentium pretiò, quantumcunque pol-

Dubium quintò est, an in rerum venditione contrahentes se mutuo valent circumvenire, hoc enim ipsis permittim videtur Jure Imperiali, *l. In cause 16. ff. de Minoribus, cuius §. 4. Pomponius JCT. ait, In pretio emptionis & venditionis naturaliter licere se circumvenire.* Non minus clarus est textus *l. Item 22. ff. de Locati, cuius §. 3. Paulus JCT. In emendo & vendendo idem concessum: & quod in hoc contractu, in locationibus quoque & conductionibus Juri esse, respondit. Unde aliqui DD. in Contractibus istis deceptionem eatenus approbatam volunt, ut contrahentes infra iusti pretii dimidium lædere licitè possint. Sed male & contra principia sanæ Theologiae, eum, qui alterum in pretio, etiam infra iusti dimidium, v.g. pro re, cuius pretium iustum infimum sunt centum, exhibitis duntaxat sexaginta læsit, ad residuum quadraginta restitutionem in Conscientiâ indubitè obligantis: & contra præcepta Juris Divini per Apostolum promulgata, *quæ supergreditur & circumveniat in negotiis**

negotio fratrem suum, quoniam vindex est dominus, 1. Theſſal. cap. 4. v. 6. Imò contra inſitam mentibus noſtris à Natura legem Charitatis & Juſtitie expoſcentis; ne appetamus bona proximi, quem, ſicut nos ipſos, diligere jubemur: & ut in contractibus æqualitatem, pretium pro re, quod iſtius juſta æſtimatio ſit, exhibendò obſervemus. Ut ad eò meritò S. Auguſtinus, velle vili emere aut carè vendere, ſive pro re minùs, quàm valet, dare, aut juſtò valore plus accipere, utrumque vitium eſſe, pronuntiavit Lib. 13. de Trinit. cap. 3.

55. Sanæ huic doctrinæ leges Imperiales, ſi adſerentur, cedunt, arg. c. ſi. de Preſcript. juxta dicta in Proem. n. 159. Ne autem, adſerentur, DD. variis interpretationibus cum ea conciliare conantur. Meò judicìò à vera Theologia minùs recedunt, qui relatos JCT.ºs circumventionem in pretio naturaliter contrahentibus licitam eò ſenſu aſſeruiſſe, volunt; quòd ea Naturali ſecundariò, hoc eſt, Gentium Jure non tam approbata, quàm impunita eatenus fuerit; ut ad pacem & tranquillitatem in humana Societate faciliùs conſervandam & illis inimicam litium multitudinem ab iſta avertendam venditori adverſus emptorem, à quo infra juſti pretii dimidium v. g. pro re, cujus pretium 100. ſunt, 60. duntaxat accipiendò, læſus eſt, Actio negaretur; cum vix ulla, & fortaiſſis nulla gens fuerit, quæ ob quamvis etiam minimam læſionem in pretio, ad eam emendandam dederit conventionem judicialem, ut ex communi aliorum ſenſu advertunt cit. Haunold. n. 162. & Bruneman in l. In cauſa cit. num. 13. Unde

56. Dubium ſextum oritur de remediis competentibus adverſus emptionem venditionem, quæ contrahentium alter, pro re pretium juſtò inſimò minùs accipien-

dò, vel ſummò majus dandò, eſt læſus, Qua in re Jure Civili prodita, & Canonico quoque pro Foro externo firmata eſt diſtinctio inter læſiones; quando enim contractu iſto venditor læſus eſt infra juſti pretii dimidium, v. g. pro re, cujus juſtum pretium inſimum centum ſunt, ſolummodo ſexaginta aut ſeptuaginta recipiendò, venditio non ſolum valida eſt, ſed eà læſo, neque ad reſciſſionem contractùs neque ad juſti pretii deficientis ſupplementum Actio datur, arg. l. In cauſa cit. §. 4. l. l. 22. §. 3. cit. & l. Si voluntate 8. C. de Reſcind. vendit. ut Reipublicæ noxia litium frequentia evitaretur, & contractus inter homines majori fiducia celebrarentur. Pro Externo, in-

57. quam; quia in interno Conſcientiæ Foro quisquis alterum injuſtè & notabiliter læſit, juſtò minùs pretium dandò aut majus recipiendò, ad damnum reſarciendum ſive pretii defectum ſupplendum & exceſſum reſtituendum ſub gravi peccato obligatur, ut cum S. Thoma cit. art. 1. certa eſt ſententia TT. niſi ex circumſtantiis rationabiliter præſumi poſſit, damnum à contrahentibus ſibi mutuò remiſſum, Leſſius Lib. 2. de J. & J. cap. 21. num. 33.

Imò ita læſis in Foro Eccleſiæ exter-

58. no, licet non concedatur Actio judicialis, permiſſa tamen eſt denuntiatio Evangelica: quæ ſibi factà judex Eccleſiaſticus deceptorem, ſive alterum lædentem, compellere poteſt ad reſarcitionem damni, ad quam iſte obligatur Jure Divino & Naturali, non permittente aliquem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiozem, l. Jure Nature 206. ff. de R. J. & ne, quod ſibi fieri non vult, quis faciat alteri, Math. cap. 7. v. 12. proximumve in negotio circumveniat, prohibente 1. Theſſal. cap. 4. v. 6.

Quando autem venditor ultra juſti

59. pretii

00

pretii dimidium læsus est, v.g. pro re centum constante solum quadraginta vel ultra hæc octo recipiendò, validus quidem est contractus: sed eò læsus agere adversus emptorem potest; ut vel, rescissã venditione, rem venditam restituat, vel suppleat iusti pretii defectum, per textum famigeratæ *l. Rem majoris 2. C. de Rescind. vend. c. Cum dilecti 3. & c. Cum causa 6. hæc Rubr. confirmata. cui*

Non obstat; quòd ex una, rei suæ valorem scire venditor præsumatur, *l. Quisquis 15. C. de Rescind. vend.* ac proinde rem suam minori pretio vendens, id, quod iusto pretio deest, donare videatur: ex altera verò parte, rem minori, quàm valet, pretio donandi animò vendens, si ad contractus rescissionem agat, non audiat, *l. Si quis 38. junctâ Glossâ marg. ff. de Contrab. empt.* Non, inquam, hoc obstat; quia donandi animus, si non exprimitur verbis, neque ex circumstantiis, v.g. quòd emptor venditori sanguinis aut aliã necessitudine sit conjunctus, colligatur, abesse præsumitur in eo, qui rem à se vendi aserit; cum in dubio suum jactare nemo facile censeatur, *l. Cum de indebita 25. ff. de Probat.* Quare præsumptioni, quæ est de scientia valoris rei suæ, prævalet ea, quæ rerum suarum jactationem & donandi animum excludit; ac proinde in dubio venditor, rei venditæ pretium ignorasse potius, quàm eam jactare & donare voluisse, præsumitur, Panormit. *in c. Cum causa cit. n. 4. Covarruvias Lib. 2. Var. cap. 4. n. 2. & Menoch. Lib. 6. Præsumpt. 23. n. 36.*

60 Simili modò, cum emptor mercem emendò ultra dimidium læsus est, (valida quidem est emptio, adversus venditorem tamen vel ad ejus contractus rescissionem, eoque rescissò, réque reddità, pretii, quod dedit, integri restitutionem: vel, si venditor malit, ad restitutionem solius ex-

cessus pretii agere potest, ut *arg. l. 2. ff. cc. cit.* cum Panormit. *in c. Cum dilecti cit. n. 2. & Pinello in l. 2. cit. p. 1. cap. 2. & 3. n. 10.* docent Guttierrez *Lib. 2. Pract. q. 133. n. 2. & cit. Molina disp. 349. n. 1.* Ratio est; quia, licet textus *cit.* expressè loquantur de læsis venditoribus, æqualitas tamen & æqualitas inter contrahentes observanda exigit, ut *l. cit.* remediò, sicut venditori, sic etiam emptori ultra dimidium læso succurratur; cum, ne contractus ex una parte claudicat; tum verò quia venditor & emptor sunt correlati de quorum uno dispositum extenditur ad alterum, *l. fin. C. de Indicta via & l. r. C. de Cupress.* saltem cum eadem utriusque ratio est: eadem autem, quæ venditori, etiam emptori ultra dimidium læso, imò huic succurrendi major ratio est; cum ille suam vendat, iste emat alienam: veri autem valoris rei alienæ, quàm suæ, tollerabilior ignorantia sit, *arg. l. Quisquis cit. ibi, Familiaris rei scire vult vel merita atque emolumenta ante debuerat.*

Quantumvis autem etiam emptori ultra dimidium læso *l. cit.* remediò predeste, inter præcipui nominis DD. læsis conveniat, dissensio tamen non modica inter eos est, quando ultra dimidium læsus censeatur; TT. enim & Canonice Hispani, leges suas Regias præcipuè attendentes, & ex aliis DD. non pauci, emptorem ultra dimidium læsum, & ad rescissionem contractus vel excessus soluti pretii restitutionem agere posse, volunt, quando pro re, cujus iustum pretium summum centum sunt, centum & quinquaginta quatuor solvit. Ratio, quæ mittitur, unica, sed in speciem solida est, quòd ita observetur æqualitas inter contrahentes; cum utriusque conditio sit par: & contractu initò de re, cujus iustus valor centum sunt, sicut venditori, sic etiam emptori

emptori plus quam quinquaginta minus, quam deberet, accipienti *l. 2. cit.* remedio subveniatur: fecus quam eveniret, si isti non subveniretur, nisi pro ejus valoris re seu merce ducenta & quatuor expendisset; cum ita venditor in plus, quam quinquaginta, emptor autem non nisi in plus quam centum læsus *ex l. cit.* agere possit: quod adversatur Justitiæ Commutativa, in contractibus reciprocis exigentis servari æqualitatem, neque permissis; ut contrahentium alterius deterior conditio sit.

62. Sed, licet hoc primò intuitu iniquum, rem tamen accuratius pervestiganti satis æqua videri potest contraria sententia Cujacii *Observat. Lib. 16. cap. 18.* Pinelli *in l. cit. p. 1. cap. 2. à n. 5.* Perez *in C. de Rescind. vend. n. 8.* & aliorum JCT. cum præsertim Germanorum, emptorē rei valentis centum, numeratis pro ea centum & quinquaginta quatuor, ultra dimidium læsum, & *l. cit.* beneficiò juvari, negantium: quorum, imò ipsius Panormit. *in c. Cùm dilecti cit. n. 2.* & Speculat. *Tit. de Rescind. Vendit. n. 11.* doctrinam ex RR. TT. secutus est Wadingus *de Contract. disp. 7. dub. & §. 4. n. 2.* & non obscure defendit *cit. Haunold. n. 243.* Eadem Jure Bavarico Landrecht *Tit. 7. art. 7.* & Camera Imperialis ulu recepta est, teste Mynsin-ger *Cent. 4. Observat. 73.* Ratione etiam satis solidà & clarà fulcitur; quia læsionis magnitudo in emptione venditione desumenda est, factà comparatione dati & accepti ita; ut infra dimidium duntaxat, qui ejus, quod dedit, plus quam mediam partem: ultra dimidium autem læsus judicetur, qui ejus, quod dedit, mediā minorem partem accepit. Unde, sicut venditor ultra dimidium læsus dicitur, quando dati five rei venditæ constantis centum minus, quam dimidium pretium, scilicet quadraginta octo duntaxat acce-

pit, sic etiam emptor ultra dimidium læsus rectè dicitur, quando dati, scilicet plus quam ducentorum florenorum minus quam dimidium accepit: quod accidit, cum pro iis accepit rem constantem solummodo centum: non etiam, quando pro illis centum quinquaginta quatuor duntaxat dedit; hoc enim casu, cum dati plus quam dimidiam æstimationem accepit, infra, non ultra dimidium est læsus.

Non minus, quam clara hæc ratio est, facile enervatur, quæ allata est in contrarium; quia, esto emptor plus lædi queat materialiter, sive spectatâ quantitate, in qua est læsus: non tamen plus lædi potest formaliter; cum, quando dati plus quam dimidium accepit, neuter: quando autem ejus minus quam dimidium accepit, utque ultra dimidium læsus censetur, ut cum Laiman *Lib. 3. f. 5. tract. 4. cap. 17. n. 6.* rectè observat Haunold. *cit. n. 243. V. Ut autem.* Quod autem sic inter contrahentes non servetur æqualitas materialis, ut ferè exigat & solet Justitiæ Commutativa, hæcenus firmata JCT. orum sententiæ non officit; quia Jura rescissionem emptionis infra dimidium læsis negandò, non ita spectarunt privatorum contrahentium substantiam, quam bonum Reipublicæ: à cuius curiis nimiam litium frequentiam arcere præcipuè intenderunt; qui finis per communiorem sententiam TT. minus obtinetur; cum facilius quis inducatur, ut centum quinquaginta quatuor florenis rem valentem centum emat, quam ut hanc solum quadraginta octo vendat, ut cum *cit. Laiman* advertit idem Haunold. *n. 243.*

Dubium septimò est, an *l. cit.* remedio locus sit in aliis Contractibus, Id ferè non competere ultra dimidium læso in Transactione, frequentiori DD. sensu & speciali ratione spectatis negavi *Lib. 1.*

O o 2

Tit. 36.

Tit. 36. à n. 10. Ei in cæteris etiam contra-
 ctibus locum non esse, cum nonnullis vult
 Hunnius *Lib. 3. Resol. tract. 7. q. 12. V.*
Sed bis, quod ex una, *l. cit.* meminerit so-
 lius Venditionis: ex altera verò partè,
 quod eâ proditum remedium contra
 rationem Juris, circumventionem absque
 ulla quantitatis determinatione contra-
 hentibus permittentis, *l. In causa §. 4. &*
l. Item §. 3. cit. sit introductum, ac pro-
 inde ad consequentiam non trahendum, *l.*
Quod contra 141. ff. de R. J.

64. Nihilominus etiam Permutatione,
 Locatione, Cambio, & cæteris Contra-
 ctibus reciprocis ultra dimidium læsis *l. cit.*
 remediò succurri, defendit Panormit. *in c.*
Cum causa cit. n. 8. quem cum Fachineo
Controvers. Lib. 2. cap. 22. secuti sunt Pa-
 lao *Tract. 32. disp. 5. p. 17. §. 8. n. 1. & cit.*
 Haunold. *à n. 245.* eâ ducti ratione; quòd,
 licet *l. cit.* & cui ea subjicitur, *Rubrica*
 agant de venditione, nulla tamen sit ratio,
 quæ eâ non etiam locatione, permutatio-
 ne &c. ultra dimidium læsis succurren-
 dum evincat: imò, quocunque contractu
 ita læsos, *l. cit.* remediò adjuvari, dicitur
 æquitas: nisi id speciali ratione exclu-
 datur.

Ratione, quam opponit, Hunnius ipse
 probaret, etiâ contra ipsû evinceret, solo-
 rû limobilium, non etiam mobiliû: & il-
 lorum venditione duntaxat, non etiam
 emptione ultra dimidium læsis *l. cit.* re-
 mediû prodesse; quia immobilium dun-
 taxat & solius venditionis meminit. Pa-
 ritas autem rationis & æquitas, sicut rei
 mobilis emptione, sic locatione aliòve
 contractu reciproco ultra dimidium læsis
l. cit. remediò sibi consulere volentibus
 patrocinetur. Accedit; quòd remediû
 hoc nequaquam, ut Hunnius supponit,
 novum sed antiquò Jure jam proditum
 fit; *l. cit.* autem solummodo firmatum

& apertius declaratum esse, à DD. & in
 scholis receptum esse, perhibeat Has-
 precht *in §. fin. Instit. n. 91.*

Non defunt tamen casus, quibus ultra
 tra dimidium etiam venditione læsis tra-
 ctus declaratum Juris remediû non
 prodest.

Primò quidem, cum ei non generaliter
 tantum, sed specialiter & expressè
 præsertim cum juramento quis renuntia-
 vit, *arg. l. Quaritur 14. §. 9. ff. de Edict. edict.*
 quâ actiones suas remittentibus ad
 eas regressus diserte negatur. Ratio est
 quia Juri & favori pro se principaliter in-
 troducto renuntiare cuilibet est permis-
 sum, *c. Si de terra 6. de Privileg. & le-
 vandum est omne juramentum, quod in
 salutis dispendium & alterius detrimen-
 tum non redundat, c. Cum contingat 2. de
 Jurejurando & c. Quamvis 2. de Litem
 6. Covarr. Lib. 2. Var. cap. 4. & Gutierrez
 de Juramento p. 1. cap. 26. n. 2. nisi læsus ex-
 cedat justii pretii duplum vel triplum, ac
 proinde enormissima foret; quia hæc lib-
 simplici, imò & jurata, renuntiatione non
 comprehenditur; cum ei dolus causam do-
 disse censetur, *citt. Covarr. n. 5. & Gut-
 tieriez n. 7.**

Secundò, si defectum venditor vel ex-
 cessum pretii emptor donet: quod, licet
arg. l. In remandata 2. l. C. Mandati omnino
 certum, sic anceps est, an in dubio verbis
*Id. quò res pluris valet, dono, defectus pre-
 tii plus quam dimidii donatus censetur.*
 Quod non pauci affirmant. Alii & veritas
 verbis illis modici duntaxat, non justii
 midium excedentis pretii defectum reme-
 dii censent; quia dictione *Quòd plura mo-
 dica, non quæcunque quantitas denotatur,*
l. Hac adfectio 191. ff. de V. S. Unde communi
 sententia; ut dimidii pretii defectus à ven-
 ditore donatus censetur, exposcit ut iuste
 justii pretii habuerit scientiam, & nulli vi
 metive aut necessitate coactus pretii defec-
 tione

cientis & donati quantitatem vel specificis vel saltem universalibus verbis v.g. *Quantumcunque ejus defectus sit &c.* exprimat; ita enim venditor etiam ultra dimidium, dummodo non enormissimè, læso l. cit. remediò non subveniri, cum Felino in 6. Si cautio 14. de Fide instrument. n. 39. docent Menoch. de Arbitr. casu 144. n. 15. & Fachineus cit. Lib. 2. cap. 19. V. Sed & tertia.

67. Tertiò, si res empta casu fortuitò perempta sit, l. Si res 12. §. 1. ff. de Jure dotium, ubi in servi pretio læsæ mulieri; Si ille decefferit, astimatio non justa, sed ea, quæ facta est; ac proinde sine defectùs supplemento, præstanda dicitur. Ratio est; quia, re ita perempta, cessat optio justii defectum suppleandi, vel rescisso contractu recipiendi rem; cum enim ista non amplius extet, cessare necesse est optionem, quam ex l. 2. cit. conventus habet; ideòque læsus sibi imputare debet; quòd eum non convenerit; cum re adhuc extante optioni & l. cit. indultæ Actioni locus esset, cit. Covarr. n. 14. Gomez Lib. 2. Var. cap. 2. n. 22. & Fachineus Lib. 2. cap. 18.

ARTICULUS IV.

De Re seu Merce.

SUMMARIUM.

68. Merx sunt res humano commercio subiectæ.
69. Vendi prohibentur I. Liber homo:
70. II. Res publicæ,
71. III. Et sacre, sive spirituales, hisque annexæ:
72. IV. Res Ecclesiæ immobiles & pretiosæ sine solemnitate:

73. Nisi Ecclesia vel monasterium eorum capax non sit.
74. V. Fundus alieue res dotales:
75. VI. Res propria ipsius emptoris.
76. Valida est venditio rei alienæ.
77. Eà tamen sola usucapiendi conditio transferretur in emptorem:
78. Cui de evitione venditor tenetur:
79. Licet rem esse alienam ignorarit,
80. Resque non tota, sed ejus solùm pars in judicio evicta,
81. Et acti ablata sit emptori:
82. Qui evitionis periculum animadvertens potest retinere pretium,
83. De evitione non tenetur venditor, cui denunciata non fuit lis:
84. Si res propter emptoris contumaciam,
85. Vel imperitam, aut injuriam judicis fuit evicta:
86. Si emptor evitionem remisit, vel rem alienam esse scivit,
87. Vel in judicem non suum consensit,
88. Remve, cum posset, non usucapit,
89. Vel, cum debuit, non appellavit.

68. **M**erx sive res, quæ veniat, in rerum natura, aut saltem eorum futuræ spes, ut v.g. fructus aut fructus nascituri, volucrum, piscium, ferarum captus, l. Nec emptio §. pr. & §. 1. ff. de Contrab. empt. & humano commercio subiecta esse debet, Perez in C. de Contrab. empt. n. 10. & Vallens. ad hanc Rubr. §. 4. n. 1. Unde

69. Vendi nequeunt primò liber homo pro servo, §. fin. Instit. hac Rubr. quia in emptione intervenire debet certum pretium & æstimatio: quam liberum corpus non recipit, l. 1. §. 5. ff. De his, qui essud. vel deiec. cum libertas inæstimabilis sit, l. Libertas 106. ff. de R. I. Secundo, res publicæ, ut forum, curia

Tennitatum proventibus reservata, non venditio irrita declarata aut rescissa est: quod actores petebant & decanus contra *l. Rem majoris 2. C. de Rescind. vend.* pronuntiavit: sed emptor solum alter-nativè sive disjunctivè ad defectum pretii supplendum, vel rescissò contractù & receptò pretiò, ad sylvam restituendam compulsus fuit, juxta *l. cit. Pirrhing ad hanc Rubr. n. 22.*

73. Excipienda tamen hóc locò sunt immobilia donata aut ultimà voluntate relicta FF. Minoribus Seraphici Ordinis S. Francisci & Cappuccinis: uti & PP. Theatinis ac Domibus Professis Societatis JESU, quæ ad sociorum usum aut habitationem servire non possunt; talia enim hóc ipsò; quòd à Monasteriis aut Domibus retineri per Religionum illarum à Sede Apostolica approbatas Constitutiones non possunt, sine Canonica solemnitate vendi, & venditorum pretium in Monasteriorum Domorumque & Religioforum usus converti possunt, ut à S. Congreg. Card. Trident. Interpp. decretum de PP. Theatinis, testes sunt Corradus *Dispensat. Apostol. Lib. 9. cap. 1. n. 13.* & Donatus *Tom. 1. Prax. Regul. p. 2. Traù. 14. q. 36. n. 3.* & Del bene *de Immunit. Eccl. cap. 17. dub. 22. n. 28.*

Dico, *Immobilis*: non etiam mobilia pretiosa, ut sunt calices, vasa aurea, argentea & similia, quorum Religio est capax; ista enim hóc ipsò; quòd per acceptationem Monasterio vel Domui jam quaesita & divino cultui applicata sint, vendi sine causa & forma Canonica non posse, verisimiliùs existimant Barbofa *de Offic. Episc. alleg. 95. n. 59. cit.* Donatus *n. 2.* & Del bene *à n. 30.* id non male deludentes ex memorato decreto, Immobilium duntaxat venditionem excipientes.

74. Quintò, vendi nequit fundus do-

talís vel alia res immobilis, ab uxore marito allata ad matrimonii onera supportanda, *l. Fundus 3. G. ff. de Fundo dot. pr. Instit. Quibus alien. non licet: & e-* jusmodi res donata propter nuptias sive in compensationem & securitatem dotis: quantumvis in alienationem mulier confererit, & juri suo renuntiàrit, *Auth. Sive à me C. ad S. C. Velleian.* Nisi huic renuntiationi se non contraventuram, jurasset, *c. Cùm contingat 28. de Jurejurando & c. Licet 2. eadem Rubr. in 6.* vel post biennium secundà vice confererit, & maritus habeat alia bona, ex quibus indemnitati mulieris sufficienter cautum sit ac prospectum, *Auth. cit.* cujusmodi geminatum consensum in alienationem dotis intervenisse, ex triginta annorum lapsu Cælestinus III. præsumpsit *c. Pervenit 4.* ex eoque tempore extrinsecas actuum solemnitates, præsertim concurrente simul observantià, præsumi, *in c. cit. cum Panormit. n. 7. & aliis notat Barbofa n. 2.*

Sextò, vendi nequit res propria ipsius emptoris, *l. Cùm res 4. l. Sua 16. ff. & l. Mater 10. C. de Contrab. empt.* cujus proinde, sive scienter sive ignoranter, ab isto facta emptio non valet; cùm rei, cujus quis dominium habet, dominus fieri amplius non possit, *c. Inter 6. V. Cæterum, de Fide Instr. & S. Idem 2. Instit. de Inutil. stipul.* Nisi emptum sit aliquod jus, quod in ejus re venditor habebat, aut penes hunc existat ejus possessio, *l. Si in emptione 34. S. 4. ff. de Contrab. empt.* cùm hac ratione non rem suam, sed rei suæ alienam possessionem, aut alienum in ea jus emat, Perez in *C. eadem Rubr. n. 13.* & Bruneman. in *l. Cùm res cit. n. 2.*

Valida tamen est venditio rei non solum propriæ venditoris: sed etiam alienæ, *l. Qui alienam 28. ff. de Contrab. empti-*

empr. cum ad istius contractus valorem necessaria non sit translatio domini in emptorem, *l. Si ita 25. §. 1. ff. ibidem;* sed, licet casu, quo venditor rei domini fuit, eam emptori tradendo, iste ejus dominus fiat, *§. Per traditionem 40. Instit. de Rer. divis.* casu tamen, quo vendidit rem alienam, istius traditæ solam ufucapiendi conditionem in emptorem transfert, seu facit; ut huic eam habere liceat, & legitimò tempore bonâ fide possessam præscribere valeat. *Bonâ,* inquam, *fide;* cum enim, sicut sine possessione, *Reg. 3. in 6.* sic etiam sine bona fide præscriptio non procedat, *o. fin. de Præscript. & Reg. Possessor 2. in 6.* in emptorem, qui rem alienam esse scivit, ufucapiendi conditio nequit transferri, ac proinde emptio jure non subsistit, *l. Si in emptione cit. §. 3.*

78. Sicut emptor rem alienam malâ fide emptam sibi traditam præscribere, imò retinere non potest: sic bona fide ab eo empta & retenta ejusmodi res aliena à vero domino superveniente, eamque suam aut sibi obligatam esse in judicio evincente, avocari potest. Ejus tamen avocatione, currentis præscriptionis tempore factâ, venditor de evictione tenetur emptori; ut hic ab illo repetere valeat pretium, quò res inter contrahentes fuit æstimata, nullâ ratione habitâ augmenti vel decrementi: sed solummodo consideratò statu contractus & appretiationis eò tempore factæ, *l. Bonitatis 13. ff. de Evictionibus,* atque insuper petere possit interesse singulare, quanti præter pretiû prore expositum emptoris interest, rem evictam non fuisse: & compensationem omnium damnorum inde acceptorum, *l. 1. & l. Venditor 8. ff. Rubr. cit.* dummodo ista pretiû expositi duplum non excedat, *l. Unica, C. de Sent. pro eo, quod interest,* & emptor tempore contractus

rem esse alienam ignorârît, *l. Si fundum 27. C. de Evict.* litèrque super ea litigatam venditori, ut sibi eam suscipiendi & prosequenti in judicio assistat, & probationes suggerat, in tempore denuntiârît, *c. fin. hie, l. Si rem 29. ff. de l. Aurore 7. C. Rubr. cit.*

De evictione autem emptori præstanda venditor tenetur. Imprimò si rem alienam aut alteri obligatam esse sciverit, sive hoc ignorârît; qui ignorantia eum non excusat; cum rem, quam vendit, conditionem scire quisque teneatur, ac præsumatur, *arg. l. Quisquis 15. C. de Rescind. vend.* Denique si res tota sive ejus tantum pars aliquæ, ac proinde etiam, si evincatur usufructus, *pr. l. 1. & l. Si ab emptore 49. ut constituta servitus in fundo, quem vendens omnino liberum affirmavit, l. Quis ad 75. ff. de Evict.* Denique, si de evictione præstanda inter contrahentes convenerit, sive non, *l. Non dubitatur 6. C. de Evict.* Ratio est; quia emptio venditio est contractus bonæ fidei: qui exigit, ut præstetur, quod inter contrahentes est actum: & si inter hos nihil convenit; ut præstentur, quæ contractui naturaliter insunt. Emptio enim & venditio, tanquam contractus synallagma continenti & ulro citroque obligationem parienti, naturaliter insunt; ut, sicut emptor rei pretium facit venditoris, sic vicissim venditor rem tradat emptori, & ejus dominum, si ipse eam hunc faciat, *l. cit. §. 2. vel, si dominus non est, in eum transferat possessionem (& consequenter ufucapiendi conditionem) vacuam, l. Clavibus 74. ff. de Contrab. empr.* non tantum à possessionibus veris, sed quibuscunque aliis, per aliquod in ea retinentibus, cum sine hoc res tradita non videatur, *l. Si in emptione 2. §. 1. l. Ratio 3. pr. & §. 1. ff. de l. cit.*

de empti. Unde, si res ipsa aut ejus pars aliqua, v.g. alteri in ea constitutum jus, evincatur, emptori venditor tenebitur de evictione, Gonzalez in c. fin. n. 10.

81. Porro, ut evictionem præstare venditor teneatur, exigitur; ut emptori rem, ab eo acceptam, non solum alienam, alteri oppignoratam, usumfructum in ea constitutum esse, constet, l. *Qui rem* 3. C. de *Evict.* aut ipsi super ea lis mota, aut ad ejus restitutionem per sententiam condemnatus sit: sed; ut ista transferat in rem judicatam & rei emptæ possessione in alium translata, mandata sit executioni, l. *Habere* 57. ff. de *Qui rem cit.* C. de *Evict.* cum enim evincere plus quam vincere, hoc est, rem victo auferre sit, ante actualem ablationem evicta dici non potest, Perez in C. de *Evict.* n. 19. & Bruneman in l. *In rem cit.* n. 5.

82. Casu tamen, quod evictionis periculum in ipsò contractûs limine imminet; quod super rei sibi venditæ proprietate ante pretii numerationem emptor in judicio sit conventus, pretium aut partem ejus residuum retinere potest, donec ipsi venditor idoneam cautionem præstet de evictione, l. *Si post* 24. C. *Rubr. cit.* quâ præstitâ venditori pretium petenti numerare omnino tenetur; cum enim ejusmodi cautione pretii, cum res evicta fuerit, non recipiendi periculum omne sit sublatum, ab ejus numeratione nullâ justâ causâ excusatur, Perez cit. n. 19. Bruneman, in l. *Si post cit.* n. 3. & Magnif. D. Collega à Widmont *Traç. de Contract.* Tit. 10. n. 3.

83. Sunt tamen non pauci, & c. fin. cit. à Gregorio IX. referuntur celebres tres casus, quibus emptori de evictione venditor non tenetur. Primò quidem, si ille hunc non laudavit, sive ei litem super re emptâ sibi motam statim, aut

saltem post litis contestationem ante publicationem testium & attestacionum vel conclusionem in causa non denunciavit; ut ad causam defendendam veniat, l. *Si rem* 29. §. 2. ff. l. *Autore* 7. l. *Emptor* 8. C. *Rubr. cit.* cum enim venditor rei à se venditæ conditionem: & quæ ad ejus defensionem conferunt, magis perspecta habeat, si eò non laudatò evincatur, Juris ignorantia potius quam defectu, & emptoris litis denuntiationem omittentis potius, quam venditoris rem alienam vendentis culpâ evicta præsumitur, Panormit. in c. *cit.* n. 5. Covarr. *Lib. 3. Var. cap. 17. n. 3.* Gomez *Tom. 2. Var. cap. 2. n. 39.* & Molina *disp. 380. n. 8.* qui DD. rectè advertunt, litem etiam denuntiandam venditori, eam motam non ignoranti, non obstante *Reg. 31. in 6.* etsi enim denuntiatio litis hanc motam non ignoranti frustra fiat, cum ea solum exigitur; ut ejus notitia habeatur: nequaquam tamen frustranea, sed omnino necessaria est, cum exigitur; ut factum aliquod præstetur, & ut in proposito casu, defensio suscipiatur.

84. Secundò, si sententia lata est contra emptorem à judicio; contumaciter absentem, l. *Emptor cit.* quòd ita facta rei evictio imputari nequeat venditori; cum, si de contrario non constet, emptor non tam ob malam causam & defectum Juris, quam ob propriam culpam & contumaciam victus præsumatur, l. *Si ideo* 55. pr. ff. *ibid.* Barbola in c. *fin. cit.* n. 14. & Bruneman, in l. *Autore cit.* n. 6.

85. Tertio, si res evicta fuit per errorem, imperitiam, sordes, aut aliam injuriam judicis, l. *Emptor cit.* §. l. *Si per imprudenciam* 51. ff. *ibid.* Covarr. *cap. cit. n. 10.* cum; quòd injuriam, emptori factam, ad venditorem extendi æquitas non permittat: tum verò; quòd ita facta rei evictio censeatur instar casus fortuiti:

fortuiti: quò illatum damnum non ad venditorem, sed ad emptorem, quasi rei emptæ dominum, pertineat, *l. Necessariò ff. de Periculo rei vend. et si ille iudicem, qui ita iudicandò litem suam fecit, convenire possit, l. fin. C. de Pena jud. malè jud. & pr. Institut. de Oblig. ex quasi delict. Glossa fin. in c. fin. cit. & Molina disp. 380. n. 20.*

86. Præter hos casus, venditor de evi-
sione non tenetur quartò, si bonà fi-
de existimans rem esse suam; ne de evi-
sione teneretur, cum emptore conven-
nit: quò tamen casu venditor, et si ab
interesse & damnis emptori subsecutus &
ex evisione solvendis excusetur, ad præ-
tium tamen, nisi inter eos etiam de hoc
aliter & specialiter convenisset, restituend-
um obligatur; quòd cum cum emptor-
is jactura locupletari, æquitas non per-
mittat, *l. Ex empto 11. §. fin. ff. de Act. empti, cit. Covarr. n. 2. & Molina n. 18.*

Quintò, si emptor rem alienam aut
alteri obligatam esse, sciens emit, &
cum venditore de evisione non conven-
nit, *l. Si fundum 27. C. de Evict.* cum;
quòd rem, quam alienam aut alteri o-
bligatam esse scivit, evinci posse non ad-

vertens, sibi imputare debeat, & in ma-
litiolæ emptionis penam mereatur, *Hau-
nold. cit. Traët. 10. n. 135.*

Sextò, si idem emptor, lite lit-
motà, super re emptæ in arbitrum com-
promissarium aut iudicem extraneum si-
ve non suum consensit, & hi contra eum
pronuntiârunt, *l. Si dictum 56. §. 1. ff. ibid.* quòd ita sponte iudicium subiecit,
ac proinde res ipsius voluntate positã
quàm illius necessitate evicta videatur,
cit. Covarr. n. 7. Hainold. n. 137. & Bruneman. in l. cit. n. 1. §. 3.

Septimò, si idem rem emptam ul-
capere potuit, & non cepit, *l. cit. §. 3.*
si eam habuit pro derelicta, *l. fin. aut*
ejus possessionem suã culpã amisit; ab-
que ex reo factus actor succubuit delicti
probationis, *l. Si rem cit. §. 1. Vira-
nus in c. fin. cit. §. fin.*

Octavò, si venditor à iudicio ab-
sente (non eò præsentem) per sententiã non
manifestè iniquam, sed de injuria suspo-
sitam, condemnatus non appellavit, aut ap-
pellationẽ legitimè interpositam deleterat,
*l. Herennius 63. §. 1. §. fin. ff. de Evict. cit. Covarr. n. 9. Molina n. 19. & Hau-
nold. n. 133.* qui plures hujusmodi casus
dabunt cum Caballin. *Traët. de Evict. §. 1.*



TITVLVS XVIII.

De Locato & Conducto.



Emptioni Venditioni proxima,
itaque similis est Locatio
Conductio, ut iisdem fer-
me, quibus illa, Regulis
consistat, *l. Locatio 2. pr. ff. & pr. Institut.*

*hac Rubr. Inter utrumque autem hoc
Contractum medius Emphyteuticus est
ad eò; ut antequam à Zenone Imp. Apo-
stolice & ab illis distinctus Contractus est
decerneretur, l. 1. C. de Jure Emphyteu-
tic. an Emph.*